



T. 387072 C-75303894

50 +  
121



OFFICIA PROPRIA  
SANCTORUM  
*BURGENSIS ECCLESIAE,*  
ET DIOCESES,  
*A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO*  
**CLEMENTE OCTAVO**  
*APPROBATA.*



---

BURGIS.

Apud Raymundum á Villanueva. Anno Dñi. 1831.



OFFICII PROPRII  
SANCTORUM  
ET DIACONORUM  
A SANTISSIMO POMO MORTIS  
CLEMENTE OCTAVO  
ATRIBUITA



---

PARISIENSIS  
AD M. DE VILLENAVE. A. 1681.



**DON ANTONIO DE LOS RIOS,**  
del Consejo de S. M., su Secretario  
y Escribano de Cámara de la Co-  
misaría general de Cruzada y de-  
mas gracias Subsidiarias.

**C**ERTIFICO: que por parte de la Santa Metropolitana Iglesia de Búrgos, se ha presentado al Excelentísimo Señor Don Manuel Fernandez Varela, Arzobispo de Madrid Dignidad de la Santa Iglesia Metropolitana de Toledo, primada de las Españas, Caballero Gran Cruz de la Real y distinguida Orden Española de Carlos Tercero, Individuo nato de la Real Junta de la Inmaculada Concepción, y Juez Exactor y Collector general de las pensiones consignadas á la misma Orden, del Consejo de S. M. su Predicador y Comisario Apostólico general de las tres gracias de Cruzada, Subsidio y Excusado en todos los Reynos y Señoríos de S. M. C., Juez privativo del nuevo rezado su impresión, tasa, venta y distribución &c. La petición que con el decreto á ella provehido es del tenor siguiente. —  
**Excmo. é Illmo. Señor Comisario general de Cruzada. —**  
**Don Pascual de Irigoyen en nombre del Señor Don Bernardo Hernandez, Canónigo Fabriquero que es de la Santa Iglesia Metropolitana de Búrgos: A V. E.** hace presente que habiendo obtenido de Fr. Antonio Manzanares, Administrador general del nuevo rezado

en

en esta Corte por el Real Monasterio del Escorial el correspondiente permiso que acompaña adjunto para imprimir por una sola vez el Código de Santos de aquel Arzobispado, y siendo necesaria la licencia de V. E. para poderlo verificar. — Suplica á V. E. se digne concederla para el expresado objeto: en lo que recibirá especial merced. — Madrid veinte y nueve de Marzo de mil ochocientos treinta y uno. — Pascual de Irigoyen. — Madrid once de Abril de mil ochocientos treinta y uno. — Mediante á haber obtenido esta parte el consentimiento del Padre Administrador del nuevo reza do concedemos licencia por solo una vez para la reim presion del Cuaderno ó Código de los Santos propios que reza el Estado Eclesiástico de la Santa Iglesia Catedral y del Arzobispado de Burgos. Se comete su correccion á la persona que deute el Muy Reverendo Arzobispo de dicha Diócesis y estando conforme con el que se ha presentado se impriman mil y quinientos exemplares, y traiganse dos con la certificacion del corrector para proveer. — Está rubricado. — Y para que conste al Impresor en donde se haya de verificar esta impresion doy la presente que firmo en Madrid á trece de Abril de mil ochocientos treinta y uno. — Don Antonio de los Ríos. — Corregida.

CHRIS-

# CHRISTOPHORUS VELA,

*miseratione Divina Archiepiscopus Burgensis,*

*Regis Consiliarius, Decano, Capitulo, &*

*Clero Burgensi: salutem, in Domino.*

**Q**uamvis Breviarium Romanum jussu Sanctissimi Domini Pii Pap. V. ex Decreto Sacri Concilii Tridentini in lucem editum, injungat universis Clericis unam tantum formulam dicendi Horas Canonicas, ceterisque prohibeat: quia tamen non erat aequum, singulas Ecclesiias lectioне ac exemplis suorum Sanctorum, quos tamquam Patronos, ac celestis vitae Magistros semper veneratae sunt, defraudari; idem Pontifex, ac deinceps Gregorius XIII. sanctissime decreverunt, posse singulas Ecclesiias suorum Sanctorum Officia celebrare, qui vel ex illa Diocesi sunt oriundi, vel eorum corpora, seu notabiles reliquiae in ea Ecclesia, seu Diocesi requiescant. Et cum haec nostra Ecclesia Metropolitana, cui (licet indignè) presumus, nec numero Sanctorum, neque multitudine sacrarum reliquiarum sit ceteris postponenda, in solicitudine, quam gerimus, inter cetera semper fuit cordi, eorum Officia in utilitatem vestram confidere: quod negotium dedimus Doctori Martino de Sierra, Canonico, ac Lectori Sacrae Scripturae hujus nostrae Ecclesiæ, modo vero electo Episcopo Palentino, viro quidem litteris præstantissimo, omnique doctrinæ, & pietatis genere unde-  
quá-

quáque ornatíssimo, qui multis Breviáriis, & antiquíssimis monuméntis, & Auctòribus fidedignis accurátè perléctis, ea Offícia sapiénter ordinávit, & in unum librum aptè redégit, quem ad Cleméntem VIII. Pontíficem nostrum mísimus, qui eum Sacræ Congregatiōni Rítuum examinándum, & probandum commísit, examinátum, & probátum Apostólica Auctoritaté confirmávit, & communívit, ac tam in Choro, quām extra privátim, & pùblicè posse illa recitári indúlsit, ac concéssit. Quamóbrèm vobis univérsis, & singulis hujus Diocésis Cléricis præcípimus, & mandámus, ut deinceps in festivitatibus Sanctòrum, qui in hoc libéllo continéntur, hoc Offício, & hac precándi fórmula tam in Choro, quām extra utámini. Quod cùm fecerítis, sperámus in viscéribus Je-su Christi multos vos ex hoc fructus perceptúros, ac hos nostros Patrónos, & domésticos Sanctos piè & religiósè ve-neratúros, ac imitatúros. Datum Burgis anno à Nativitatē Dómini millésimo quingentésimo nonagésimo séptimo, die verò décima sexta, mensis Januárii.

*Chr. Archiep. Burgens.*

*De mandáto Archiepiscopi.*

*Joannes de Valle Alvarádo,*

*Secret.*

**CLE-**

# CLEMENS PAP. VIII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

**I**lliūs, qui mirabilis est, & gloriósus in Sanctis suis, vices quamquam immériti geréntes in terris, pro ea, quæ nobis incúmbit, pastoráli cura, illis, quæ ad Sanctórum in Triumphánti Ecclésia regnántium in Militánti hac Ecclésia veneratiōnem débitam tribuéndam ordináta sunt, Apostólici muníminis firmitatē libénter adjícimus. Cùm itaque venerabilis fratris Archiepiscopi, ac dilectórum filiorum Decáni, & Capítuli Ecclésiæ Burgénsis nōmine, infrascriptæ Sanctórum Patronórum ejusdem Ecclésiæ lectiones propriæ nobis, & Apostólicæ Sedi examinandæ, & approbandæ propósitæ fuerint, atque de mandato nostro in Congregatiōne Venerabílium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinálium super sacris rítibus deputatórum à piis & erudítis viris examinatæ, corréctæ, & emendatæ, ac demùm ab ipsámet Congregatiōne approbatæ extiterint. Nos illas auctoritatē nostra Apostólica libenter communiéndas esse censúimus. Proinde dictórum Archiepiscopi, Decáni, & Capítuli supplicationibus nobis super hoc humilitè porrécitis inclinati, lectiones eásdem præsentibus inférius insertas, ab eádem Congregatiōne, ut præmittitur, examinatas, & approbatas auctoritatē Apostólica tenore præsentium perpétuò confirmámus, & approbámus, ac Apostólicæ firmitatis róbore communi-

mus:

mus: eásque in Ecclésia Burgénsi, & ab ejus Capítulo,  
ac Civitatis, & Diœcesis Clero, ac particuláribus persó-  
nis, tam in Choro, quām extra, statis tempóribus lícite re-  
citári, eásque recitándo obligatiōni recitándi Divíni Offí-  
cii satisfieri posse concédimus, & indulgēmus: sicque per  
quoscumque Júdices Ordinários, & Delegátos, sublata eis,  
& eorum cuilibet quavis áliter judicándi, & interpretándi  
facultáte, & auctoritatē judicári, & definiri debere, ac  
írritum, & ináne quidquid secūs super his à quoquam qua-  
vis auctoritatē, sciénter, vel ignoránter contigerit attentá-  
ri, decérnimus. Non obstántibus constitutiōnibus, & ordi-  
natiōnibus Apostólicis, ac Breviárii, & Kalendárii Romá-  
ni nova editiōne, quódque dies festi horum Sanctórum in eis  
non descripti sunt, ac ejusdem Ecclésiæ Burgénsis statu-  
tis, & consuetudínibus, étiam juraménto, confirmatione Apos-  
tólica, vel quavis firmitatē ália roboráti, ceterisque con-  
tráriis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Marcum sub  
ánnulo Piscatóris, die XI Maii M. D. XCVI. Pontificá-  
tus nostri anno quinto. Tenor autem oratiōnum, & lectionum  
prædictarum (additis Antiphonis, & Responsoriis, necnon  
Officio, S. Theclæ V. & M. postérius celebrári concesso)  
est qui séquitur, videlicet.

OFFI-



# OFFICIA PROPRIA SANCTORUM, ET FESTORUM BURGENSIS ECCLESIAE, ET ARCHIDIÆCESIS.

---

## FESTA JANUARII.

*Domínica 2. post Epiphaniam. In Festa SS. nóminis JESU. Duplex 2. classis. Omnia ut in Breviário, & Missali Románo.*

## AD VESPERAS.

### Antiphona.

Omnis, qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit.  
*Psalm. Dixit Dóminus: cum reliquis de Domínica, & loco ultimi Psalm. Crédidi.*

*Aña.* Sanctum, & terrible nomen ejus, initium sapientiae timor Dómini. *Aña.* Ego autem in Dómino gaudêbo, & exultabo in Deo Jesu meo. *Aña.* A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Dómini. *Aña.* Sacrificabo hóstiam laudis, & nomen Dómini invocabo.

*Capítulum. Philipi. 2. A. 8.*

**F**ratres, Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,

A

tem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

*HYMNUS.*

**J**esu dulcis memoria,  
Dans vera cordi gaudia:  
Sed super mel, & omnia,  
Ejus dulcis praesentia.  
Nil canitur suavius,  
Nil auditur jucundius,  
Nil cogitatur dulcior,  
Quam Jesus Dei Filius.  
Jesu spes poenitentibus,  
Quam pius es petentibus!  
Quam bonus te querentibus!  
Sed quid invenientibus?  
Nec lingua valet dicere,  
Nec littera exprimere:  
Expertus potest credere,  
Quid sit Iesum diligere.  
Sis Iesu nostrum gaudium,  
Qui es futurus premium:  
Sit nostra in te gloria

Per cuncta semper saecula  
Amen.

**V.** Sit nomen Domini benedictum, Alleluia.

**R.** Ex hoc nunc, & usque in saeculum, Alleluia.

*Ad Magnificat.*

**A.** Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus, Alleluia.

*Oratio.*

**D**eus, qui Unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, & Iesum vocari iussisti: concende propitiis; ut cuius sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque asperitu perfruamur in celis. Per eundem Dominum nostrum, &c.

*Et fit commem. Dominicæ secundæ post Epiphaniam.*

*Ad Completorium, & alias Horas diei, in fine Hymnorum dicitur: Jesu tibi sit gloria.* Qui

Qui natus es de Vírgine.

### AD MATUTINUM.

#### *Invitatórium.*

Admirábile nomen Jesu,  
quod est super omne nomen.

\* Venite adorémus.

*Psalm.* Venite exultémus.

#### *HYMNUS.*

**J**esu Rex admirábilis,  
Et triumphátor nóbilis,  
Dulcêdo ineffábilis,  
Totus desiderábilis.  
Quando cor nostrum vísitas,  
Tunc lucet ei véritas,  
Mundi viléscit vánitas,  
Et intus fervet cháritas.  
Jesu dulcêdo córdium,  
Fons vivus, lumen méntium,  
Excédens omne grádium,  
Et omne desidérium.  
Jesum omnes agnóscite,  
Amôrem ejus póscite;  
Jesum ardénter quærите,  
Quærêndo inardéscite.  
Te nostra, Jesu, vox sonet,

Nostri te mores éxprimant,  
Te corda nostra díligant,  
Et nunc, & in perpétuum.  
Amen.

#### IN PRIMO NOCTURNO.

*Aña.* Dómine Dóminus noster, quám admirábile est nomen tuum in univérsa terra! *Psalm.* Dómine Dóminus noster, cum réliquis, ut in Officio Parvo B. Mariæ. *Psalm.* verò iste incípitur à secúndo vers. Quóniam eleváta est. *Aña.* In nómine Jesu omne genu flectátur cœlestium, terréstrium, & infernorum. *Psalm.* Cœli enárrant. *Aña.* Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus: memen-tote, quóniam excélsum est nomen ejus. *Psalm.* Dómini est terra.

*¶.* Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis pec-cató meo.

*R.* Multum est enim.

De Actibus Apostolorum.

*Lectio I. Cap. 3.*

**P**Etrus autem & Joánnes ascendébant in templum, ad horam oratiōnis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suae, bājulabātur: quem ponébant quotidiē ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut pēteret eleémósynam ab introeúntibus in templum. Is cùm vidísset Petrum & Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogābat ut eleémósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánnē, dixit: Rēspice in nos. At ille intendēbat in eos, sperans se áliquid acceptūrum ab eis. Petrus autem dixit: Argéntum & aurum non est míhi: quod autem hábeo, hoc tibi do: In nōmine Jesu Christi Nazaréni

surge, & ámbula. Et aprehénsa manu ejus déxtera, allevāvit eum, & prótinūs consolidatæ sunt bases ejus & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat: & intrāvit cum illis in templum ámbulans, & exiliens, & laudans Deum.

**R.** Ecce concípies, & páries Fílium, & vocábis nōmen ejus JESUM. \* Ipse enim salvum fáciet pópulum suum à peccatis eòrum.

**V.** Vocátum est nōmen ejus JESUS, quod vocátum est ab Angelo priúsqam in útero conciperétur. Ipse.

*Lectio II.*  
**E**T vidi omnis pópulus eum ambulátem, & laudátem Deum. Cognoscébant autem illum, quòd ipse erat, qui ad eleémósynam

synam sedébat ad Speciōsam portam templi: & implēti sunt stupore & extasi, in eo quod contigerat illi. Cùm tenéret autem Petrum & Joánem, cucúrrit omnis pópulus ad eos, ad pórticum quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Vídens autem Petrus, respóndit ad pópulum: Víri Israélitæ, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtute aut potestáte fecerimus hunc ambulāre? Deus Abraham, & Deus Isac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostròrum, glorificávit Fílium suum Iesum, quem vos quidem tradidístis, & negástis ante fáciem Pilátii, judicánte illo dimitti. Vos autem sanctum & justum negástis, & peccátis virum homicídiam donári vobis: auctòrem verò vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit à mórtuis, cujus

nos testes sumus. Et in fide hóminis ejus, hunc, quem vos vidístis, & nos-tis, confirmàvit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrūm.

R. Benedíctum est nomen tuum, Deus Patrum nostrorum, qui cùm irátus fúeris, misericordiæ recor-dáberis:

\* Et in témporte tribulatiō-nis peccátæ dimittis.

v. Et benedíctum nomen majestatis tuæ in æternum, qui facis mirabília solus. Et in témporte.

*Léctio III.**Cap. 4. A. 5.*

FActum est autem in crástинum, ut congregentur príncipes eòrum, & seniores, & Scribæ in Jerùsalem, & Annas prínceps sacerdótum, & Cáiphas,

phas, & Joánnes, & Ale-  
xánder, & quotquot erant  
de génere sacerdotáli. Et  
statuéntes eos in médio, in-  
terrogábant: in qua virtú-  
te, aut in quo nómíne fe-  
cístis hoc vos? Tunc replé-  
tus Spíritu sancto Petrus,  
dixit ad eos: Príncipes pó-  
puli, & seniôres audite: Si  
nos hódiè dijudicámur in  
benefácto hóminis infírmi,  
in quo iste salvus factus est,  
notum sit ómnibus vobis,  
& omni plebi Israël: quia  
in nómíne Dómini nostri  
Jesu Christi Nazaréni, quem  
vos crucifixístis, quem Deus  
suscitávit à mórtuis, in hoc  
iste astat coram vobis sanus.  
Hic est lapis, qui reprobá-  
tus est à vobis ædificánti-  
bus, qui factus est in ca-  
put anguli: & non est in  
álio aliquo salus. Nec enim  
álivid nomen est sub cœlo  
datum homínibus, in quo  
opórteat nos salvos fieri.

- R. Laudábo nomen tuum  
assiduè:  
\* Et collaudábo illud in  
confessióne.  
v. Lætábor, & exultábo in  
te: psallam nómini tuo  
Altíssime. Et collaudábo.  
Glória Patri. Et collaudá-  
bo.

## IN II. NOCTURNO.

- Aña.* Mémores erunt nómíne  
tui, Dómine, in omni  
generatióne, & genera-  
tiónenem. *Psalm.* Eructávit.  
*Aña.* Magnificáte Dóminum  
mecum, & exaltémus no-  
men ejus in idípsum. *Psalm.*  
Deus noster, refúgium. *Aña.*  
Omnes Gentes, quascumque  
fecísti, vénient, & ado-  
rábunt coram te, Dómine,  
& glorificábunt nomen tuum.  
*Psalm.* Fundaménta ejus.  
v. Propter glóriam nómínis  
tui, Dómine, líbera nos.  
R. Et propítius esto peccá-  
tis

tis nostris propter nomen tuum.

nómine Jesu? Nónne in hujus nómínis luce Deus nos vocávit in admirábile lumen suum, quibus illuminátis, & in lúmine isto vidéntibus lumen dicat méritò Paulus: Fuístis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino?

R. Sperent in te, qui nō vénrunt nomen tuum:

\* Quóniam non dereliquísti quæréntes te Dómine.

v. Exúrge, Dómine, adjuva nos; & líbera nos propter nomen tuum. Quóniam.

Léctio IV.

**N**on otiosè Spíritus sanctus nomen sponsi óleo cōparat, cum ità docet sponsam ad sponsum clámare: Oleum effūsum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, & ungit: foveat ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina. Vide idem nunc & de sponsi nómine. Lucet prædicatum: pascit recognitatum: invocatum lenit, & ungit. Et percurrámus singula. Unde putas in toto orbe tanta, & tam súbita fidei lux, nisi de prædicato

**H**OC dénique nomen coram régibus, & géntibus, & filiis Israël portáre jussus est idem Apóstolus; & portábati nomen tanquam lumen, & illuminábavat pátriam, & clamábavat ubique: Nox præcessit, dies autem appropinquávit: ab-

jiciāmus ergo ópera tenebrārum , & induāmur arma lucis ; sicut in die honéstè ambulémus. Et monstrābat ómnibus lucénam super candelábrum : annúntians, in omni loco Jesum , & hunc crucifíxum. Quómodò lux ista resplénduit, ac pers-trínxit cunctòrum intuén-tium óculos , quando de ore Petri tanquam fulgur egrédiens , claudi unius cor-poráles plantas solidàvit & bases , multósque spirituá-liter cœcos illuminàvit ? Num quid non ignem sparsit, cum ait : In nōmine Jesu Christi Nazaréni surge, & ámbula ? Rx. Confiteāmur nōmini tuo magno:

\* Quóniam terribile , & sanctum est.

v. Hi in curribus , & hi in equis ; nos autem in nōmine Dómini Dei nos-tri invocábimus. Quó-niam.

*Lectio VI.*

**N**ec tantùm lux est nomen Jesu , sed est & cibus. An non tóties confortáris , quóties recordàris? Quid æquè mentem cogitantis impínguat ? Quid ità exercitátos réparat sensus, virtútes róborat , végetat mores bonos , atque honéstos, castas foyet affectionēs? Aridus est omnis ánimæ ci-bus , si non óleo isto infúnditur. Insípidus est , si non hoc sale condítur. Si scribas, non sapit mihi, ni-si légero ibi Jesum. Si dísputes , aut cónferas , non sapit mihi , nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore , in aure melos, in corde júbilus. Sed est & medicina. Tristatatur áliquis nostrum ? Véniat in cor ejus Jesus , & indè saliat in os : Et ecce ad exórtum nōminis lumen, nú-bi-

bilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? Currit insuper ad lacuum mortis desperando? Nonne si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam?

R. Laetentur omnes, qui sperant in te, Domine: in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriaribuntur in te omnes:

\* Qui diligunt nomen tuum.

V. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die. Qui diligunt. Gloria Patri. Qui.

### IN III. NOCTURNO.

Aña. Cantate Domino, & benedicte nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus. Psalm. Cantate. 1. Aña. Secundum nomen tuum Deus, sic & laus tua

in fines terræ: justitia plena est dexter tua. Psalm. Dominus regnavit, exultet. Aña. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Psalm. Cantate. 2.

V. Afferte Domino gloriam & honorem.

R. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2. v. 21.

**I**n illo tempore: Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcidetur puer: vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi  
Abbatis.

Serm. 1. de Circumcisione.

**M**Agnum, & mirabile Sacramentum. Circumciditur puer, & vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur: & Salvatorem circumcidere potius decet, quam circumcidere. Sed agnosce mediatorem Dei, & hominum, qui ab ipso nativitatis suae exordio divinis humana sociat, imma summis. Nascitur ex muliere; sed cui fecunditatis fructus sic accedit, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur; sed panni ipsi Angelicis laudibus honorantur. Absconditur in praesepio; sed proditur radiante stella de celo. Sic &

circumcisio veritatem suscep-tae probat humanitatis: & nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat majestatis. Circumciditur tamquam verus Abrahæ Filius; Jesus vocatur tamquam Filius Dei.

R Tribulationem, & dolorum inveni:

\* Et nomen Domini invocavi.

¶ Turris fortissima nomen Domini, in ipso speravi, & adjutus sum. Et nomen. *Benedictio: Divinum auxilium.*

### Lectio VIII.

**N**eque enim ad instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum, aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Cœlitus siquidem inditum nomen Evangelista tes-

testatur, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: postquam natus est Jesus. Jesus vocatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Idem quippe, & Angeli Salvator, & hominis: sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturæ. Vocatum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo. In ore ergo duorum, vel trium testium stat omne verbum: & ipsum, quod in prophetata abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur caro factum.

R. Expectabo nomen tuum  
Dómine:

\* Quóniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum.

¶ Ut confitemur nomini sancto tuo, & glorię-

mur in laude tua. Quóniam. Glória Patri.

Quóniam.

*Nona Léctio de Domíni-  
ca secunda post Epiphan.*

*Si verò hoc Festum propter occurrentiam Dominicæ Septuagessim. transferri débeat in álum diem, & in eo non occurrat áliquod Festum simplex, de quo léctio nona dici debeat, dicitur sequens.*

*Idem Serm. 2. de Circumcisione.*

*Léctio IX.*

**M**Erítò sanè, dum circumciditur puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam cœperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim

jam quærere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidí. Propter hoc síquidem circumcisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato génitus, nec à peccato circumcisus, nec mortuus est pro peccato suo; magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo, priusquam in útero conciperetur. Vocatum planè, non impósum. Nempe hoc ei nomen est ab æterno. A natura propria habet, ut sit Salvátor: innatum est ei nomen hoc, non inditum ab humana, vel Angélica creatura.

Te Deum laudamus.

*AD LAUDES,*

& per horas.

*Aña.* Oleum effusum nomen

tuum, ideò adolescentulæ dilexerunt te. *Psalm.* Dominus regnávit, cum reliq. de Dom. *Aña.* Scítote, quia Dominus ipse est Deus, cuius nomen in æternum. *Aña.* Sitivit anima mea ad nomen sanctum tuum, Domine. *Aña.* Benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula. *Aña.* Júvenes, & Vírgenes, senes cum junióribus laudate nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

*Capitulum. Philip. 2.*

**F**ratres, Christus humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

*HYM-*

*HYMNUS.*

**J**esu decus Angélicum,  
In aure dulce cáanticum,  
In ore mel miríficum,  
In corde nectar cœlicum.  
Qui te gustant, esúriunt;  
Qui bibunt, adhuc sítunt;  
Desiderare nésciunt,  
Nisi Jesum, quem díligunt.  
O Jesu mi dulcissime,  
Spes suspirántis ánimæ!  
Te quærunt piæ lácrymæ,  
Te clamor mentis ítimæ.  
Mane nobiscum Dómine,  
Et nos illústra lúmine:  
Pulsa mentis calígine,  
Mundum reple dulcépine.  
Jesu flos Matris Vírginis,  
Amor nostræ dulcépinis,  
Tibi laus, honor nóminalis,  
Regnum beatitúdinis.  
Amen.  
¶ Adjutórium nostrum in  
nómine Dómini.  
¶ Qui fecit cœlum, &  
terram.

*Ad Benedictus.*  
**Aña.** Dedit se, ut liberaret  
pópulum, & acquireret sibi  
nomen æternum. Allelúa.

*Orálio.*

**D**EUS, qui Unigéni-  
tum Fílium tuum consti-  
tuistí humáni géneris Salva-  
tòrem, & Jesum vocári jus-  
sisti: concéde propítius; ut  
cujus sanctum nomen vene-  
rámur in terris, ejus quo-  
què aspéctu perfruámur in  
coelis. Per eúmdem Dóminum  
nostrum Jesum Christum  
Fílium tuum, &c.

*Et fit commemoratio Domínicæ.*

*Ad Primam in R. brev.*  
dicitur ¶ Qui natus es de  
María Vírgine.

*Ad Tertiam. Aña.* Sci-  
tote.

*Capitulum.* Fratres, Chris-  
tus humiliàvit.

*R. brev.* Sit nomen Dó-  
mi-

mini benedictum. Allelúia, allelúia. Sit nomen. Ex hoc nunc, & usque in sæculum. Allelúia, allelúia.

**G**lória Patri. Sit nomen Dómini. **R.** Afférte Dómino glóriam, & honorem. Allelúia.

**R.** Afférte Dómino glóriam nōmini ejus. Allelúia.

**A**d Sextam. Aña. Sitivit.

**C**apítulum. Philip. 2. v. 10

**I**N nōmine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terréstrium, & infernorum: & omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

**R.** brev. Afférte Dómino glóriam, & honorem.

\* Allelúia, allelúia. Afférte.

**v.** Afférte Dómino glóriam nōmini ejus. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Afférte.

**v.** Magnificáte Dóminum mecum. Allelúia. **R.** Et exal-

témus nomen ejus in idípsum. Allelúia.

**A**d Nonam. Aña. Júvenes, & vírgenes.

**C**apítulum. Colos. 3. v. 17.

**O**Mne quodcūmque fáctis in verbo, aut in ópere; omnia in nōmine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo & Patri per ipsum.

**R**. brev. Magnificáte Dóminum mecum. \* Allelúia, allelúia. Magnificáte. **v.** Et exaltémus nomen ejus in idípsum. Allelúia, allel. Glória Patri. Magnificáte.

**v.** Adjutórium nostrum in nōmine Dómini. Allelúia.

**R.** Qui fecit cœlum, & terram. Allelúia.

**I**n secúndis Vésperis, ómnia dicúntur sicut in primis.

**A**d Magnificat. Aña. Vocábis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum fáciet pópu-

pulum suum à peccatis eorum, allelúia.

*Oratio, ut supra.*

*Et fit commemorat. Dominicæ.*

---

## DIE XXII. JANUARII.

*In festo S. Vincéntii, Mart. duplex. 2. Clas-  
cum Oct. Omnia ut in Ss.  
novis. & Missal. Rom.*

---

## DIE XXVIII. JANUARII.

*In festo S. Juliáni Con-  
fessoris Pontíficis, dupl. 2.  
class. Omnia ut in SS. Hispan.*

---

## DIE XXX. JANUARII.

*In festo Sancti Adelélmi,  
Confess. dupl.*

### Orálio

**D**EUS, qui nos beáti Adelélmi Abbátis præclaris virtútum exémplis eru-díri voluísti: concéde pro-pítius, ut quod te donánte, devótè promísimus, ejus-dem patrocínio fidéliter adimplére valeámus. Per Dó-minum.

*In primo Nocturno lect.  
de Scriptúra occurrit.*

### IN II. NOCTURNO.

*Ex brev. Benedictíno.*

### Léctio IV.

**A**Delélmus, Lugduni, quod est oppidum Gál-liae, illústri, Christianaque ortus família, puer litterárum stúdiis óperam dedit: adoléscens verò coáctus est à paréntibus militiam sectári: in qua ita se gessit, ut expers per omnia illòrum vi-tiòrum fúerit, quibus illud hóminum genus immérgi

solet. Paréntibus defunctis, cùm aliquándò illud ex Evangélio audisset: Si vis perféctus esse, vade, & ven-de ómnia, quæ habes, & da paupéribus, & veni, & séquere me; património pau-péribus distribúto, vile sibi induméntum índuens, ac mendícans, Romam prope-ràvit: ubi cùm ferè biénium orationibus, jejuniis, carnisque afflictiónibus intendísset; tandem ad Robér-tum Cassæ Dei Abbâtem, quem ante Românam profectionem invísserat, revér-titur. Ibi, post mútuam gratulatiònem, monásticam vi-tam proféssus, multos lan-guôres signo crucis, & Dei grátia curàvit.

R. Honéstum.

*Léctio v.*

**D**Evolútis pòst áli-quot annis, invitus Cassæ Dei Abbas créatus, vir-

tùtum ómnium spécimen ex-hibuit: sed quia divinárū rerum contemplatiōni jam per negótia vacare, ut ánteà, non póterat; ut Christo pleniùs deservíret, præsulâtu se abdicàvit. Ejus verò fama jam longè, latéquè dif-fusa, omnes in admiratiō-nem sui vérterat; cùm Angliæ Reginæ lethárgum pá-tiens, speque salútis prorsùs amissa, núnctios ad eum misit, ut vel micam panis, cui ipse benedixísset, trans-mitteret ad medélam. Ré-nuit início vir sanctus; sed tandem précibus victus, fru-méti mensúram misit, quo Regina primùm, mox quot-quot per Insulam morbo tenebántur, convaluérunt. Accítus post hæc lítteris Constántiæ Reginæ Alfónsi sexti uxóris, in Hispániam venit; ubi à Rege simul & Regi-na perhumáne suscéptus, & hábitus est.

R. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum:

\* Et ad portas paradísi coronávit eum.

R. Induit eum Dóminus lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas.

*Léctio VI.*

**Q**uantæ esset virtùtis, miráculum comprobávit. Nam per vada Tagi, prope Tolétum, cùm régius esset exércitus fortè trajiciéndus; nullis, vel qui equis valéntibus vehebantur, flúminis æstui ripas exolútis nívibus occupántis satis fidéntibus; Adelélmus débili aséllu ínsidens, pronuntiato ex psalmis oráculo: Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nómine Dómini, undárum globos cum ómnium stupore tranávit. Céterum, cùm cópiam fáceret Rex Ade-

lélmo diligéndi sibi locum ad habitandum, quæm máximè vellet; sacéllum sancti Joánnis Evangelístæ, quod in subúrbio Burgórum Urbis Rex ipse constrúxerat, pétii; & réliquo vitæ tém-pore peregrínis, & paupéri-bus minístrans, frecuentávit, ubi feliciter migrávit ad Dó-minum; atque ibidem insig-ne monuméntum ejus relíquias cóntinens, ac nomen réferens conspícitur. Cláruit Sanctus Adelélmus in Hispá-nia, Alfónso sexto, & Constántia secúnda, ejus uxore, Lúdovíci Francórum Regis fília, regnántibus.

R. Iste homo perfécit ómnia, quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: ingrédere in réquiem meam.

\* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

ψ. Iste est, qui contémp-sit vitam mundi, & per-

vénit ad cœlestia regna. Quia  
Gloria. Quia.

*In tertio Nocturno Homil. in Evang. Ecce nos reliquimus ómnia; ut in Commun. Abbát. Missa de eodem Cñi. cum orát. prop.*

## FESTA MÁRTIL

### DIE I. MARTII.

*In festo S. Angelī Custōdis.*

*Ad Vesperas.*

*Aña. Angelis suis, cum reliquis de Láudib. Psalm. Dixit Dñus. cum reliquis de Domínica: & loco últimi dicitur Psalm. Laudáte Dóminus omnes gentes.*

*Capitulum. Exod. 23.*

**E**cce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem

parávi. Observa eum, & audi vocem ejus.

### HYMNUS.

**T**ibi Christe splendor Patris,

Vita, virtus cōrdium:

In conspéctu Angelórum

Votis, voce psállimus:

Alternantes concrepándo Melos damus vócibus.

Collaudámus venerántes

Omnes cœli miltes;

Sed præcipue custódem

Missum nobis cœlitus,

Inimícum in virtute

Conteréntem Zábulon.

Quo custóde procul pelle,

Rex Christe piíssime,

Omne nefas inimíci

Mundo corde, & corpore;

Paradiso redde tuo

Nos sola cleméntia.

Glóriam Patri mélodis

Personémus vócibus:

Glóriam Christo canámus;

Glóriam Paráclito:

Qui

Qui trinus & unus Deus  
Extat ante sæcula. Amen.

¶. In conspéctu Angelorum psallam tibi , Deus meus.

R. Adorábo ad templum sanctum tuum , & confitêbor nómini tuo.

*Ad Magnificat.*

Aña. Mittet Angelum suum tecum , & díriget viam tuam: si audíeris vocem ejus, inimicus erit inimicis tuis , & afflíget affligéntes te Dóminus Deus noster; præcedétque te Angelus ejus.

*Oratio.*

**D**EUS, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam mítttere dignáris : largíre supplícibus tuis , & eòrum semper protectione défendi , & æterna societáte gaudére. Per Dóminum nostrum.

**AD MATUTINUM.**

*Invitatórium.*

Regem Angelorum Dóminum. \* Venite adorémus.  
*Psalm.* Venite exultémus.  
*Hymnus.* Tibi Christe , ut supr. in Vésperis.

**IN I. NOCTURNO.**

Aña. Mitto Angelum meum , qui dírigat viam tuam coram te.

*Psalm.* Dómine Dóminus noster , ut in Brev. die octáva Maii , seu vigésima nona Septémbri.

Aña. Angeli Dómini sunt duces itíneris nostri omni tempore.

*Psalm.* In Dómino confido.

Aña. Benè ambulétis , & sit Dóminus in itínere vester , & Angelus ejus comítetur vobíscum.

*Psalm.* Dómine quis.

¶. Stetit Angelus juxta aram templi.



R. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De Zacharíá prophéta.

Léctio I. Cap. 1.

**I**N die vigésima & quar-  
ta undécimi mensis Sa-  
bath, in anno secúndo Dá-  
rij, factum est verbum Dó-  
mini ad Zacharíam filium  
Barachíæ, filii Addo, Pro-  
phétam, dicens: Vidi per  
noctem, & ecce vir ascén-  
dens super equum rufum,  
& ipse stabat inter myrtéta  
quæ erant in profundo: &  
post eum equi rufi, vá-  
rii, & albi. Et dixi: Quid  
sunt isti, Dómine mi? &  
dixit ad me Angelus, qui  
loquebátur in me: Ego os-  
tendam tibi quid sint hæc.  
Et respondit vir, qui stabat  
inter myrtéta, & dixit: Isti  
sunt, quos misit Dóminus  
ut perambulent terram. Et  
respondérunt Angelo Dómi-

ni, qui stabat inter myrtéta, & dixerunt: Perambu-  
lávimus terram, & ecce om-  
nis terra habitátur, & quiés-  
cit. Tu autem.

R. Angelis suis Deus man-  
dávit de te, ut custódiant te  
in ómnibus viis tuis. \* In  
mánibus portábunt te, ne  
umquam offéndas ad lápi-  
dem pedem tuum.

V. Míllia míllium minis-  
trabant ei, & décies cen-  
téna míllia assistébant ei.  
In mánibus.

Léctio II.

**E**T respóndit Angelus  
Dómini, & dixit: Dó-  
mine exercítuum úsquequò  
tu non miseréberis Jerúsá-  
lem; & úrbium Juda, qui-  
bus irátus est? Iste jam sep-  
tuagésimus annus est. Et  
respóndit Dóminus Angelo,  
qui loquebátur in me verba  
bona, verba consolatória.

Et

Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dóminus exercituum: Zelatus sum Je-rúsalem & Sion zelo magno. Et ira magna ego iráscor super gentes opuléntas: quia ego irátus sum parùm, ipsi verò adjuvérunt in malum. Proptéreà hæc dicit Dóminus: revértar ad Jerúsalem in misericórdiis: & domus mea ædificábitur in ea, ait Dóminus exercituum: & perpendículum extendétur super Jerúsalem. Tu autem.

R. Pósuit Dóminus cas-ta sua in médio pópuli sui.

\* Ut eríperet nos de ma-nu ómnium inimicórum nos-trorum.

v. Fuérunt Jacob óbviām Angeli Dei; quos cùm vi-dísset, ait: Castra Dei sunt hæc. Ut eríperet.

## Léctio III.

**A**Dhuc clama, dicens: Hæc dicit Dóminus exer-cituum: Adhuc affluent civi-tates meæ bonis: & consolábitur adhuc Dóminus Sion, & éliget adhuc Jerú-salem. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce quátuor córnua. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt córnua, quæ ven-tilavérunt Judam, & Israël, & Jerúsalem. Et osténdit mihi Dóminus quátuor fabros. Et dixi: Quid isti vé-niunt fácere? Qui ait, dicens: Hæc sunt córnua, quæ ven-tilavérunt Judam per síngu-los viros, & nemo eòrum levávit caput suum: & ven-erunt isti deterrêre ea, ut de-jícant córnua géntium, quæ levavérunt cornu super ter-ram Juda, ut dispérgerent eam. Tu autem.

R.

R. In conspéctu géntium nólite timére vos, sed in córdibus vestris sacrificâte Dóminum.

\* Angeli enim ejus vobiscum sunt.

¶. Montes in circúitu ejus, & Dóminus in circúitu pópuli sui. Angeli enim. Glória. Angeli.

## IN II. NOCTURNO.

*Aña.* Mitte Dómine Angelum tuum bonum ante nos in timore bráchii tui; ut métuant qui odérunt nos.

*Psalm.* Cœli enárrant.

*Aña.* Angeli Dómini comítentur nobiscum, ut benè ambulémus in viam rectam.

*Psalm.* Dómini est terra.

*Aña.* Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, & custódiet eos.

*Psal.* Benedicam Dóminum.

¶. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

R. De manu Angeli.

Ex libro Morálium S. Grogórii Papæ.

*Lib. 2. cap. 2.*

*Léctio IV.*

**Q**UADAM autem die, cùm veníssent filii Dei, ut assísterent coram Dómino, &c. Qui autem filii Dei, nisi élécti Angeli vocántur? De quibus, cùm constet quòd obtútibus Majestatis insérviant; valdè quæréndum est, undè véniant, ut coram Dómino assístant. De his quippe voce veritatis dícitur: Angeli eòrum in cœlis semper vident fáciem Patris mei, qui in cœlis est. De his Propheta ait: Míllia míllium ministrábant ei, & décies mil-

míllies centéna míllia assistébant ei. Si ígitur semper vi-dent, & semper assistunt; vigilánti cura quæréndum est, undè véniant, qui num-quam recédunt? Sed cùm de illis per Paulum dícitur: Nónne omnes sunt admi-nistratórii spiritus in mi-nistérium missi propter eos, qui hereditátem cápiunt sa-lútis? Per hoc quód missos cognóscimus, undè véniant invenímus.

R. Ecce Angelus, qui loquebátur in me, egredie-bátur: & Angelus álius egre-diebátur in occúrsum ejus, & dixit ad eum: curre, loquere ad púerum istum, dicens: \* Absque muro ha-bitábitur Jerúsalem præ mul-titúdine hóminum, & ju-mentórum in médio ejus: & Dóminus erit ei murus ignis in circúitu.

¶. Revérsus est Angelus, qui loquebátur in me; &

suscítávit me, quasi virum, qui suscítátur de somno suo: & dixit ad me. Absque muro.

### Léctio v.

**S**ed ecce quæstiōni quæstiōnem júngimus: & qua-si dum ansam sólvere nítimur, nodum ligámus. Quómodo enim aut semper assístere, aut vidére semper fáciem Patris possunt, si ad ministérium extérius pro nostra salùte mittúntur? Quod tamen cí-tiùs sólvimus, si quantæ subtilitatis sit Angélica na-túra, pensámus. Neque enim sic à divína visiōne foras éxeunt, ut intérnæ contem-platiōnis gáudiis privéntur: quia si Condítoris aspéctum exéunte amítterent, nec ja-céntes erígere, nec ignorán-tibus vera nunciāre possent, fontémque lucis, quem egrediéntes ipsi pérderent, cœcis nullátenus propinā-rent. In hoc itaque est nunc

natūra Angélica à natūræ nostræ conditiōne distīcta, quòd nos & loco circumscribimur, & cœcitatis ignorāntia coarctāmūr: Angelōrum verò spíritus, loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eōrum sciētiæ longè super nos incomparabíliter dilatāntur. Intériùs quippe, exteriúsquè sciēndo, diffusi sunt, quia ipsum sciētiæ fontem contemplāntur. Quid enim de his, quæ sciēnda sunt, nésciunt, qui sciētem ómnia sciunt?

R. Dóminus dedit vocem suam ante fáciem exérctitus sui, quia multa sunt nimis castra ejus. \* Fórtia, & faciēntia verbum ejus.

v. Fuérunt Jacob óbiām Angeli Dei, quos cùm vidiisset, ait: Castra Dei sunt hæc. Fórtia.

### Léctio VI.

**A**Ngelorum itaque sciētia comparatiōne nostræ scientiæ valdè dilatāta est: sed tamen comparatiōne divinæ sciētiæ angūsta. Sicut & ipsi illorum spíritus, comparatiōne quidem nostrorum cōporum spíritus sunt: sed comparatiōne summi, & incircumscripti spíritus, sunt corpus. Et mitiuntur ígitur, & assistunt: quia per hoc, quòd circumscripti sunt, éxeunt: & per hoc, quòd intus quoquè præsentes sunt, numquam recédunt. Et fáciem ergo Patris semper vident, & ad nos véniant: quia & ad nos spirituāli præsentia foras éxeunt; & tamen ibi se, unde recésserant, per intérnam contemplatiōnem servant. Dicitur ergo: Venérunt fílii Dei, ut assisterent coram Dómino: quia illuc spíri-

ritus conversiōne rédeunt,  
undē nulla mentis aversiōne  
discédunt.

R. Sancti Angeli Custòdes nostri, défendite nos in  
prælio: \* Ut non pereāmus  
in treméndo judício.

¶. Vos autem Angeli  
sancti, mílitēs Dei, cœlōrum  
cives, custòdes hóminum,  
défendite nos semper.  
Ut non pereāmus. Glória  
Patri. Ut non pereāmus.

### IN III. NOCTURNO.

Aña. Angeli eōrum semper  
vident fáciem Patris, qui  
in cœlis est. Psalm. Cantáte. 1.

Aña. Adoráte Dóminus  
omnes Angeli ejus: audivit,  
& lætáta est Sion.

Psalm. Dóminus regnávit,  
exultet. Aña. Benedícite  
Dóminus omnes Angeli  
ejus: poténtes virtute, facién-  
tes verbum illius, ad audién-  
dam vocem sermōnum ejus.

Psalm. Bénedic áima  
mea. 1.

¶. In conspéctu Angelōrum  
psallam tibi, Deus  
meus.

R. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, & confitē-  
bor nómini tuo.

Homil. in Evang. Acces-  
sérunt discípuli ad Jesum,  
ut in Breviário, in die De-  
dicationis S. Michaélis, men-  
se Septemb.

R. VII. Mittit Dóminus  
sanctos Angelos suos, ut  
nos præcedant per diem, &  
noctem.

\* Et osténdant nobis  
viam vitæ, & sint duces ití-  
neris nostri in omni tém-  
pore.

¶. Angelis suis mandàvit  
de nobis, ut custódiant nos  
in ómnibus viis nostris. Et  
osténdant.

R. VIII. Angeli boni co-  
miténtur nobiscum, qui nos  
júgiter suo múniant auxílio,

& benè dispónant ómnia,  
quæ circa nos gerúntur. \*  
Ita ut cum gáudio pergá-  
mus in pátriam.

¶. Angeli sancti sunt in  
itínere nostro: fugant dæ-  
mónia, servant nos incólus-  
mes, & oratiōnes nostras  
ófferunt Deo. Ita ut cum  
gáudio. Glória. Ita ut.

*AD LAUDES,*  
& per Horas.

*Aña.* Angelis suis Deus  
mandàvit de te, ut custó-  
diant te in ómnibus viis  
tuis.

*Psalm.* Dóminus regnà-  
vit, decórem, *cum réliquis*  
*de Domínica.*

*Aña.* Angeli Sancti sem-  
per custódiunt nos, ut dig-  
num Dómino exhibeámus ob-  
séquium.

*Aña.* Mittit Dóminus  
sanctos Angelos suos, ut  
nos præcedant per diem, &

noctem, & osténdant nobis  
viam vitæ.

*Aña.* Angeli Dómini Dó-  
minum benedícite in æté-  
num.

*Aña.* Laudáte eum omnes  
Angeli ejus: laudáte eum  
omnes virtutes ejus.

*Capítul.* Ecce ego, *ut in*  
*Vesp.*

*HYMNUS.*

**C**hriste, sanctorum decus  
Angelorum,  
Rector humani géneris, &  
auctor,  
Nobis æternum tribue be-  
nignus,

Scándere cœlum.  
Angelus custos véniat ad  
istam

Cœlitus missus rogitamus  
aulam:  
Nobis ut, erebrò veniente,  
crescant

Próspera cuncta.  
Hinc Dei nostri génitrix  
María,

To-

Totus & nobis chorus Angelorum  
Semper assístat, simul &  
beáta

Cóncio tota.  
Præstet hoc nobis Déitas  
beáta  
Patris, ac Nati, paritérque  
sancti  
Spíritus, cuius résonat in  
ómni Glória mundo. Amen.

℣. In conspéctu Ange-  
lòrum psallam tibi, Deus  
meus.

℟. Adorábo ad templum  
sanctum tuum, & confitē-  
bor nòmini tuo.

### *Ad Benedictus.*

*Aña.* Revérsus est An-  
gelus, qui loquebâtur in  
me; & suscitâvit me, quasi  
virum, qui suscitâtur à som-  
no suo.

*Oratio ut suprà in Vésperis.*

### AD TERTIAM.

#### *Capítulum.*

Ecce ego: *ut in Vésp.*

℟. brev. Stetit Angelus  
\* Juxta aram templi.  
Stetit.

℣. Habens thuríbulum  
áureum in manu sua. Jux-  
ta. Glória. Stetit. ℣. Ascén-  
dit fumus arómatum.

℟. De manu Angeli.

### AD SEXTAM.

#### *Capítul. Exod. 23.*

**O**bsérva Angelum meum,  
& audi vocem ejus; nec  
contemnendum putes; quia  
non dimittet cum peccá-  
veris, & est nomen meum  
in illo.

℟. brev. Ascéndit fumus  
arómatum \* In conspéctu  
Dómini. Ascéndit.

℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

### AD NONAM.

Cápítulo. Exod. 23.

**Q**UÒD si audíeris vocem ejus, & féceris ómnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & afflígam affligéntes te: præcedétque te Angelus meus.

℟. In conspéctu Angelorum. \* Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo. Psallam tibi. Glória. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus. In secúndis Vésperis, Aña. Angelis suis, cum réliquis de Láudibus. Psalm. ut in primis Vesp. & loco últimi. Confitébor, ut in Vesp. fer. 6.

Capítulum, & Hymnus, ut suprà in primis Vesp.

℣. In conspéctu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, & confitébor nómini tuo.

Ad Magnificat.

Aña. Sancti Angeli Custòdes, nostri mémores estóte, & hic & ubique semper tutélam nostram suscípite; ut non pereámus in tremendo judicio.

Oratio ut suprà.

### DIE III. MARTII.

In festo SS. Mártirum Hemethérii, & Celedónii, fratrum, dupl. Omnia ut in Comun. Mártir. præter sequent.

Orá-

*Oratio.*

**D**EUS, qui nos pretiosis beatorum mártirum tuorum Hemethérii, & Caledónii capitibus mirabiliter decorare voluisti: concéde propítius, ut quorum patrónio lætāmur in terris, eorum consortio frui mereāmur in cælis. Per Dóminum.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*In Quadrag. Fratres, debitores: extra Quadrag. de Scriptura occur.*

## IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**H**Emethérius, & Caledónius fratres Legionenses, Marcélli Centurionis martyris filii, Spíritus sancti ducti, relíctis sæculáribus castris, in quibus diù strémue

militáverant, íclyti mílitæ effécti sunt. Nam exurgénte tunc sævissima in Christiános persecutiōnis procélla, qua innumerábiles veræ fidei cultòres cecidérunt, ad secundam Christi mílitiam sic se ívincem sunt adhortati: Diù est, cùm in his vani sæculi armis militâmus, ubi amíssio tanti ótii brevissimo cadúci témporis fine conclusa est; sequámur jam veri Regis signa victritia. Ecce ímminet bellum fidei: rejéctis mortálibus telis, sumâmus arma divina: contínuò sentièmus, fôrtiùs nos esse munítos, cùm Jesu Christi nòminis elàta vexilla in hostem, qui nobis vincendus est, inferéntur. Firmet pectus intrépidum contécta fidei ópera virtútum lorica. Opériat vúlnerum loca opósita spei scuti impenetrabilis protectione fidúcia. Attollant gáleæ adhæréntes in-

vicem charitatis erécta fastigia; fériat ubique hostem missilibus suis vibrata confessio. Hæc sunt munímina sempiterna.

R. Sancti tui Dómine mirabile consecuti sunt iter, serviétes præceptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis:

\* Terra appáruit árida:  
& in mari Rubro via sine impediménto.

¶. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit. *Benedictio. Christus perpétuæ.*

### Léctio v.

**H**IS itaque verbis magis magisque confirmati fratres, quos fida per omne tempus júnixerat societas, Cæsar is relínquunt vexilla; éligunt signum crucis, & fidei; ac charitatis clypeo muníti

animántur ad pugnam; parati ferre quidquid sors ultima tulisset. Dum igitur Christum palam proféssi, Deorum inánia simulácrta detestántur, ac Jesus Christum Deum verum liberè prædicant; duris caténis constrícti, ad tribunal miltum rapiuntur: cujus jussu apud Legionem Hispaniæ urbem primum immannissimè torquéntur: deindè Calagúrrim perdúcti, in tenebricōsum, fœdumque cácerem detruduntur. Ibi longo tempore macerati; tandem post multa tormentorum genera, quibus variè tentatum est sanctum ipsorum propósitum, cárassis condemnati, ad supplicii locum pertrahuntur: ubi utérque in Christi confessione constans, est securi percussus.

R. Vérbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine:

\* Ut heredes fíerent in domo Dómini:

℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut heredes. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

*Léctio VI.*

**Q**UAM verò pretiōsa fuérit sanctōrum fratrum mors in conspéctu Dómini, insígni est miráculo cōprobátum. Ipso namque martyrii témpore, cùm eōrum cápita lictor præcíderet; unius ánnulus, oraríumque altérius, palàm visa sunt splendescere, atque in sublímē ferri, recta, qua patéret via martyribus, in cœlum eúntibus. Vidérunt hæc omnes, qui áderant; & usquequò ácies oculorum inténdere pótuit, fulgōrem auri, candorémque líntei, attónito prosequúti sunt intúitu. Vedit hæc ipse cárñifex, qui ma-

num représsit hærēns, ac stupore oppalluit: sed tamen perégit ictum, ne periret glória. Sacra Mártyrum córpora tunc ibidem sepulta, pósteā in Cathédràlem Ecclésiam Calagurritánam translata, honoríficè in ea cóndita fuérunt. Cápita verò máximo Dei benefício Sanctandérium, Diocesis Burgensis oppidum, delata sunt: ubi multis nobilitâta miraculis, summa celebritate colúntur.

℟. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illorum: \* Quóniam donum, & pax est eléctis Dei. ℣. Qui confídunt in illum, intelliégent veritatem: & fidéles in dilectione acquiéscēt illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

## IN III. NOCTURNO.

*Homilia S. Gregórii Pap. in Evang. Cum audieritis: ut in Commun. plurimorum Mártyrum. Missa. Intret de dicto Commun.*

---

## DIE XV. MARTII.

*In festo S. Sisebuti Abbatis Caradignæ. Semidupl. Omnia de Commun. Abb. præter seq.*

*Oratio.*

**A**ccende, quæsumus  
Dómine in cordibus nostris  
ignem tui amoris: ut Beati  
Sisebuti Abbatis sancta exem-  
pla imitemur, ejusque inter-  
cessione gaudia æterna con-  
sequamur. Per Dóminum.

*Léct. primi Noct. Justus sí  
de com. Conf. n. Pont.*

## IN II. NOCTURNO.

*Léctio IV.*

**S**Isebutus Hispanus relic-

ta domo, rebusque Patris,  
Deo militaturus Cœnobium S.  
Petri de Caradigna (quod Reli-  
gione, antiquitate, & Du-  
centorum Monachorum mar-  
tyrio, & sepultura etiam ho-  
die spectatissimum est) petiit,  
ibique sub S. Benedicti Re-  
gula solemnem professionem  
emisit. Regularis disciplinæ  
exactissimus cultor, sui ipsius,  
mundique contemptor, eam  
virtutis laudem fuit adeptus,  
ut in Gomecii Abbatis locum,  
Monachorum sufragiis, suffec-  
tus fuerit. Abbas factus nihil  
admodum in vitæ ratione mut-  
tavit, sed cœteris omnium vir-  
tutum exemplar seipsum ex-  
hibens, fratres ad perfectioris  
vitæ studium verbo, & exem-  
pli provocabat. Quare sub Si-  
sebuto Abbatे adeo Monasti-  
cæ vitæ observantia viguit,  
ut non modo Reges, sed Pro-  
ceres, cœterique Fideles cer-  
tatim ad Monasterium con-  
fluerent, seseque ipsius, ac

Mo-

Monachorum orationibus commendarent, eisque bona sua pro sustentatione fratrum, pauperum, & peregrinorum largirentur. Itaque ex ipsius Monasterii monumentis constat, nullum annum (ex viginti quinque, quibus eidem præfuit Sisebutus) extitisse, in quo fideles haud parvam donationem non conferrent. Suspiciabant siquidem in eo, præter virtutes reliquas, morum innocentiam, efusissimam erga pauperes largitatem, atque in omnes inexplebilem charitatem.

*Lectio v.*

**H**UJUS vero nobile exemplum dedisse fertur, cum magnum illum Virum Catholicæ Religionis clypeum Rodericum Diaz de Vibar, Cid vulgo apellatum, ab Castellæ, & Legionis Rege Adelfonso exulare coactum, atque à Regno suo pulsum, benigne

recepit, ipsumque, & suos omni charitatis officio fuit prosecutus: quare sub Sisebuti tutela, & cura uxorem Scemanam, & filias in Palatio Monasterio proximo, linquere non dubitavit. Verum ad majaora intentus Sisebutus, utque Deo liberius serviret. Præsulatu se abdicavit, sibique Sebastianum coadjutorem Abbatem præficiendum curavit. Sed eo ad Legionensem sedem proiecto, regimem Abbatiale resumere cogitur: illudque per annos quinque sanctè obivit. Tandem post plura virtutum insignia, sanctitatis fama ilustris, ad cœlestem patriam, quam unice optaverat, migravit anno Domini millesimo octogesimo sexto. Quæ miracula vivens ediderit, haud constat: quantitamen illius ætatis Monachi, & fideles ejusdem sanctitatem fecerint, plane testati sunt, dum ipsum in sepulchro lapi-

E  
deo,

deo, á cœteris discreto, atque in Arcu Capellæ S. Jacobi postmodum collocato condiderant. Mox ad ipsius sepulchrum magnus fieri cœpit hominum concursus sanitatis pœtendæ causa, propter crebra miracula, quæ per servum suum operabatur Deus.

*Léctio VI.*

**I**Nter quæ illud litteris commendatum extat, quod Maria Francha, quæ paralisi laborabat, dum ad sepulchrum ejus devote preces funderet, mirabiliter fuerit sanitati restituta: Hæc, ut acceptum beneficium ad venientium oculis etiam representaretur, Capellæ S. Jacobi, in qua tunc temporis Sancti Viri Corpus colebatur, porticum adjunxit, pictisque imaginibus, miraculum exprimentibus, ornavit: redditus pro lampade, quæ ante corpus ejusdem perpetuo

arderet, asignavit. Pluribus ab ejus obitu transactis annis, ipsius Reliquiæ translatae fuerunt, atque in Ara maxima collocatæ: postque varias eaurumdem translationes, demum in Capella sub ipsius Sisebuti nomine Deo dicata, sub Aræ mensa in Urna ex ligno Ebeno, christallo in antica parte ornata, conditæ, magna fidelium veneratione coluntur. Jam pridem, nondum translatæ corpore, ac deinceps multo tempore, quaque die Sabati ad Vespertas Monachi ad colendum Sisebutum cantu Antiphonæ, & Orationis propriae conveniebant, atque nunc singulis diebus, quibus Salve Regina in honorem Deiparæ solemniter decantatur, idem cultus Beato Abbatii tribuitur. Quibus ritè probatis SS. D. N. Pius VI. Missam, & Officium die decimaquinta mensis Martij quotanis recitandum benigne indulxit.

In

In 3. Noct. Hom. in Evang.  
*Ecce nos reliquimus*, ut in  
 com. Abbat.

*extr. Quadrag. de Scriptur.*  
*occurrent.*

## IN II NOCTURNO.

*Lectio IV.*

## FESTA APRILIS.

### DIE IX APRILIS.

*In festo Sanctæ Casildæ Virg. dup. ut in Communi Virginum.*

*Oratio.*

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ à regno tuo nullam conditionem exclúdis: te supplices exorâmus, ut intercessione beatæ Casildæ, perfidia Mahumética dextera tuæ virtutis dissipetur, & omnes veritatis tuæ lumen agnoscant. Per Dóminum.

*In primo Nocturno Lect.*  
*De Virgínibus in Quadrages.*

**Q**uo tempore paréntum nostrorum peccatis exigentibus, Saraceni citerioris, ulteriorisque Hispániae magnam partem occupabant; regnábat Tolèti Canon vir potens, & armis strénus, qui & innúmera bellicis cládibus Cathólicis intúlerat damna, & illorum plúrimos captivos ferox detinébat in vinculis. Huic fília erat nōmine Casilda, quæ dispensatione divína, tamquam rosa inter spinas, virtutum odorem semper ab infántia spiravit; & mente, fidéque pura Christianæ veritati, ac pietati ánimum, corque supponens, miro perfectionis candore eminébat; & in fas-

tígiū virtútum ádeò excréverat, ut totam Dei fámu-  
lam in suum dómínium spí-  
ritus pietátis vindicáret.

R. Propter veritátem, &  
mansuetúdinem, & justítiam:

\* Et dedúcet te mirabí-  
liter déxtera tua.

V. Spécie tua, & pulchri-  
túdine tua inténde, próspé-  
rè procéde, & regna. Et de-  
dúcet. *Benedictio.* Christus  
perpétuae.

### Léctio v.

**P**RÆCÍPUÈ verò inter ré-  
giæ vírginis virtùtes óm-  
nium virtútum Regína chá-  
ritas enítuit. Consuetúdinis  
ejus erat, omni die infalli-  
bíliter, nisi áliquis esset im-  
pédient casus, in reverén-  
tiam Jesu Christi captivos  
Christiános ínopes & afflíc-  
tos, sua gratíssima præséntia  
visitare. Quibus sublevândis  
inténdens, compassíva tene-

ritúdine flagrans, pii cordis  
dulcédiñem, étiam lácrys  
mis exprimébat; manús-  
que adjutríces viscéribus  
misericórdiæ plenas, ad il-  
los frequénter extendébat:  
síquidem eòrum, quæ in  
sui substentatiōnem à patre  
concedebántur, sola tértia  
contenta parte, duas réli-  
quas Christiánis captívis ero-  
gábat. Mira res, & insólita!  
Naturáli excíssa oleástro,  
contra natúram sui géreris  
in bonam transívit olívam,  
ut posset bonum fructum  
afférre.

R. Dilexísti justítiam, &  
odísti iniquitátem:

\* Proptéreà unxit te Deus,  
Deus tuus óleo létítiae.

V. Propter veritátem, &  
mansuetúdinem, & justítiam.  
Proptéreà. *Benedictio.* Ignem  
sui amoris.

## Léctio VI.

**A**ccidit autem, ut Casilda immedicabili morbo laboraret. Cumquè nullam salutis ejus spem Regi facerent medici; patrem orat, ut ad lacus Sancti Vincéntii, qui sunt in território Burgeni, ubi tunc res christiana vigebat, sanitatis recuperandæ causa, ipsam dimittere velit. Rex ad consilium rétulit: visum omnibus est, régiae virginis saluti consultandum. Abiit ergo, patre relícto, Deo præcedente, protegente, & monstrante viam; & sanitati pristinæ restituta, juxta lacus eósdem in jugo montis prærupti reliquam vitam catholicæ pietatis, & perfectionis operibus plenam, feliciter consummavit: ibique singulári populorum veneratiōne colitur.

R. Afferéntur Regi ví-

gines post eam, próximæ ejus.

\* Afferéntur tibi in lætitia, & exultatione.

v. Spécie tua, & pulchritudine tua intende, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

## IN III. NOCTURNO.

*Homil. in Evang. Símile est Regnum cœlorum decem virginibus, de Commun. Virginum. Missa Dilexisti, cum orat. prop. sine Credo extra. Matric.*

## DIE XXX APRILIS.

*In festo S. Indalétii Episc. & Mart. dupl. Offic. de Commun. Mart. tempor. Pasch.*

*Orálio.*

**I**Nfirmitatēm nostram respice, omnīpotens Deus: & quia pondus propriæ actiōnis gravat, bēati Indalétii Mártyris tui, atque Pontíficis intercéssio gloriōsa nos prōtegat. Per Dóminum nostrum.

## IN I. NOCTURNO.

*Lectiōnes de Scriptūra occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Léctio IV.*

**I**Ndalétius, Torquátus, Ctésiphon, Secúndus, Cæcilius, Hesíchius, & Euphrásius, integerrimæ vitæ sócii, ab Apóstolis Petro, & Paulo créati Episcopi, ad prædicāndum Christi Evangelium in Hispániam mitiuntur. Prósperam, favénte

Deo, navigationem tenéntes, Accim Bæticæ Turdetánæ urbem, Guadix nunc vulgò nuncupatam, appulérunt. Cumquè ipsorum áliqui fessi ex itinere prope urbis mœnia quiéscerent; álii urbem, ad eméndum cibum ingrēssi sunt. Sed eos multitudo infidélium, qui festum diem suorum deòrum agébant, extra urbem ejécit, factoque ímpetu, ad fluvium usque persecuta est. In flúvio pons erat miræ magnitúdinis, & firmitatis, qui tunc Dei nutu cum infidélium multitúdine, à qua occupátus est, córruit. Tu autem, &c.

R. Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine:

\* Et ætérnitas téporum,  
Allelúia, Allelúia.

℣. Lætítia sempitérna erit super cápita eòrum: gáudium, & exultatiōnem obtinébunt. Et ætérnitas. *Benedictio.*  
Christus perpétuæ.

*Léc-*

## Léctio VI.

**Q**uo miráculo céteri pertérriti, respuéntes idóla, in Christum credidérunt, imitáti Lupáriam quamdam Senatricem magnæ auctoritatis mulíerem, quæ divíno instínctu Sanctos Dei benígnè excépit, & in Christum crédidit; & aedículam extrúxit, quam Salvatòri dedicávit. Post quæ, Torquato Acci præfecto, réliqui divérsis ejus provínciae civitátibus evangelizárunt. In quibus Indalétius, qui Urucum civitátem docéndam suscépit, multos vitæ exémplo, & prædicatiōne per Evangéliū Deo génuit. Tandem multis pro Christo passis ærúmnis, obdormívit in Dómino. Tu autem Dómine, &c.

R. In servis suis. Alleluia:

\* Consolábitur id Deus.  
Alleluia.

Judicávit Dóminus  
pópulum suum, & in ser-  
vis suis. Consolábitur. Be-  
nédictio. Ignem sui amoris.

Léctio VI.

**H**Ujs sancti Episcopi, sicut & aliorum festus dies solénni ritu Idibus Maii per Hispániam ubique perágitur. Sed Ecclésia Burgénsis hoc die, præcipuo quodam cultu Indalétium venerátur, quo, summo Dei múnere, sacrárum ejus reliquiárum párticeps facta fuit. Quo ex tempore, cùm multis ille miráculis illustrári cœpisset, ejus rei percrebréscente fama, innúmeri hómines ad eas invísandas ex propínquis remotisque pártibus venérunt. Quorum álii, multis à Deo beneficiis consoláti; álii vá-  
riis

riis morbis gráviter ægrotántes, sancti Epíscopi méritis sanátí sunt. Atque deinceps usque ad nostra témpora perpétuis nobilitatæ miracu-  
lis, nunc in primário Urbis templo, frequénti, & incre-  
dibili totius pópuli devotio-  
ne colúntur. Tu autem Dó-  
mine, &c.

R. Filiæ Jerúsalem, ve-  
nîte, & vidête Mártires cum  
corónis, quibus coronávit eos  
Dóminus:

\* In die solemnitatis &  
lætitiæ. Allelúia.

v. Quóniam confortávit  
seras portárum tuárum, be-  
nedíxit filios tuos in te. In  
die. Glória Patri. In die.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Augustíni Epís-  
copi in Evang. Ego sum  
vitis vera, & Pater, ut in  
dicto Communi. Missa, Pro-  
texísti, sine Crédito extra  
Matric.*

## FESTA MAIL.

### DIE V. MAII.

*In festo Corônæ Dómini,  
duplex majus in aliquibus  
Ecclésiis.*

### AD VESPERAS.

*Aña, Mílites Præsidis, cum  
réliquis de Laúdibus, ut in-  
frà. Psalm. Dixit Dóminus,  
cum réliquis de Domínica;  
& loco últimi Psalm. Lau-  
dáte Dóminum omnes Gen-  
tes.*

*Capítulum. Cant. 3,*

**E** Gredímini, & vidête,  
filiæ Sion, Regem Sa-  
lomònem in diadémate, quo  
coronávit illum mater sua,  
in die desponsatiōnis illius,  
& in die lætitiæ cordis ejus.

*In*

*In utrisque Vésperis*

*Hymnus.*

**L**AUDA, fidélis cóncio,  
Spinæ trophæum ínclytum,  
Per quam perit perdítio,  
Vitæque datur méritum.  
Nos à punctúris líberat  
Æténi Patris Fílius,  
Dum spinis pungi tolérat  
Spinârum culpæ néscius.  
Cum spinârum acúleum  
Christus pro nobis pérultil,  
Per diadéma spíneum  
Vitæ corônam cónculit.  
Plaudat turba fidélium,  
Quòd per spinæ Iudíbrium  
Purgat Crèátor ómnium.  
Spinéti nostri vítium.  
Ut sis perénne méntibus  
Paschále Jesu gáudium,  
A morte dira críminum  
Vitæ renátos líbera.  
Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui à mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,

In sempitérna sæcula.

Amen.

¶ Tuam Corònam ado-  
rámus, Dómine. Allelúa.

¶ Tuum gloriòsum re-  
cólimus triúmphum. Alle-  
lúa.

*Ad Magníficat.*

*Aña.* Apprehéndit Pilá-  
tus Jesum, & flagellávit:  
& mítiles plecténtes Cor-  
nam de spinis, imposuérunt  
cápiti ejus, & veste purpú-  
rea circumdedérunt eum:  
Allelúa, allelúa.

*Oratio.*

**P**RÆSTA, quæsumus om-  
nípotens Deus: ut qui in  
memóriam Passiōnis Dómi-  
ni nostri Jesu Christi, Cor-  
rámur in terris, ab ipso  
glória, & honore coronari  
mereámur in cœlis. Qui te-  
cum vivit, & regnat.

F AD

## AD MATUTINUM.

*Invitatórium.*

Christum Regem, pro nobis  
spinis coronátum.

\* Veníte adorémus: Allelúia.

*Psalm.* Veníte exultémus.

*Hymn.* Lauda, fidélis cóncio, ut suprà in Vésperis.

## IN I. NOCTURNO.

*Aña.* Maledícta terra in  
ópere tuo: spinas & tríbu-  
los germinábit tibi: Allelúia.

*Psalm.* Beátus vir, cum  
réliquis ut in festo Inven-  
tionis Sanctæ Crucis, die  
tértia Maii.

¶. Tuam Corônam ado-  
râmus, Dómine: Allelúia.

¶. Tuum gloriósum re-  
cólimus triúmphum: Alle-  
lúia.

De Isaía Prophéta.

*Léctio i. Cap. 53. A. i.*

QUIS crédidit audítui  
nostro? & bráchium Dómini  
cui revelátum est? Et ascén-  
det sicut virgúltum coram  
eo, & sicut radix de terra  
sitiénti: non est spécies ei,  
neque decor: & vídimus  
eum, & non erat aspéctus,  
& desiderávimus eum. Des-  
péctum, & novíssimum vi-  
ròrum, virum dolórum, scién-  
tem infirmitátem: & quasi  
abscónditus vultus ejus, &  
despéctus, undè nec reputá-  
vimus eum.

R. Ecce vídimus eum non  
habéntem spéciem, neque dé-  
còrem: aspéctus ejus in eo  
non est: hic peccáta nostra  
portávit, & pro nobis dolet;  
ipse autem vulnerátus est  
propter iniquítates nostras,

\* Cujus lívore sanáti su-  
mus: Allelúia.

¶. Verè languôres nos-  
tros ipse tulit , & dolôres  
nostros ipse portâvit. Cujus  
livôre.

## Léctio II.

**V**erè languôres nos-  
tros ipse tulit , & dolôres  
nostros ipse portâvit: & nos  
putâvimus eum quasi leprô-  
sum , & percússum à Deo,  
& humiliátum. Ipse autem  
vulnerâtus est propter iniqui-  
tates nostras, attritus est prop-  
ter scélera nostra: disciplina  
pacis nostræ super eum , &  
livôre ejus sanáti sumus. Om-  
nes nos quasi oves errávi-  
mus , unusquisque in viam  
suam declinàvit: & posuit  
Dóminus in eo iniquitatem  
ómnium nostrum.

R. Quid sunt plagæ istæ  
in medio mánuum tuârum.

\* Et dicet: His plagatus  
sum in domo eorum , qui  
diligébant me: Alleluia.

¶. Frámea suscitare super

pastòrem meum , & super  
virum cohæréntem mihi. Et  
dicet.

## De Zacharíá Prophéta.

Cap. 6. 9. 12. & 13. A. & C.

## Léctio III.

**E**terit in die illa: quæ-  
ram contérere omnes Gen-  
tes, quæ véniant contra Je-  
rúsalem. Et effundam super  
domum David , & super  
habitatores Jerúsalem spíri-  
tum gratiæ , & precum: &  
aspícient ad me, quem con-  
fixerunt : & plangent eum  
planctu quasi super unigé-  
nitum , & dolébunt super  
eum , ut doléri solet in mor-  
te primogéniti. In die illa  
magnus erit planctus in Je-  
rúsalem. Et dicétur ei: Quid  
sunt plagæ istæ in medio  
mánuum tuârum? Et di-  
cet: His plagatus sum in

F 2 do-

domo eorum, qui diligebant me. Frámea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dóminus exercituum: pér-  
cute pastorem, & dispergén-  
tur oves, & convértam ma-  
num meam ad párvulos.

R. Tuam Corónam spí-  
neam venerámur, Dómine;  
tuam gloriósam recólimus  
passiónem.

\* Miserere nobis, qui  
passus es pro nobis: Alle-  
lúa.

V. Salva præsentem catér-  
vam, in tuis hódiè láudibus  
congregátam. Miserere no-  
bis. Glória Patri. Miserere  
nobis.

### IN II NOCTURNO.

Aña. Pro fruménto ortus  
est mihi tríbulus, & pro hor-  
deo spina: Allelúa.

*Psalm.* Cum invocárem.  
*Psalm.* Verba mea.

*Psalm.* Dómine Dóminus  
noster.

V. Glória, & honore co-  
ronásti eum, Dómine: Alle-  
lúa.

R. Et constituísti eum su-  
per ópera mánuum tuárum:  
Allelúa.

*Ex tractátu S. Athanásii de  
Passione Dómini, ante  
médium.*

### Léctio IV. Tom. 3.

CUM exuéretur Dó-  
minus, eo ipso invisibili-  
ter ergebatur de diábolo  
trophæum: & quò illud ma-  
nifestum fieret, narrátur à  
Joánnē, indútum fuísse púr-  
pura: à Matthæo verò, &  
Marco chlámyde coccinea:  
Coronámque illi ex spinis  
super caput esse pósitam, &  
cálatum in manus datum:  
& ita cùm eum produxís-  
sent, génibus flexis adorásseré.  
Miráculum novum, & incre-  
dibile, & magnæ sine dúbio  
vic-

victoriæ insigne: Quem enim ut hominem condemnaverant, eum mortuum deinde ut Deum adoravérunt; & quem aspernabantur ut vilem, & contemptibilem, eum confitebántur Regem: cui tunicam & vestem detráxerant, púrpura circumderéunt: & quem ignorantes contumeliis afficiébant, eum Prophétam etiam nolentes appellavérunt: & quem per Iudíbrum subsannationémque pulsábant, ei triumphália addidérunt ornaménta, coccineam chlámydem, & Coronam spíneam, & cálatum. Nam tamétsi ea quasi per contumeliā agébant; efficiebátur tamen indè, ut ab eo laténter spoliaréntur.

R. Corona áurea super caput ejus.

\* Expressa signo sanctitatis, glória honoris, & opus fortitudinis: Alleluia.

¶. Quóniam prævenisti

eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus Coronam de lápide pretiosa. Expressa.

Sermo S. Ambrósii Episcopi.

Serm. 72 qui est 19. de S. Cypriano.

Lectio v.

V Ideamus diligenter, ne ex pálmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis; ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophétam: Sustinui ut fáceret uvam, fecit autem spinas; & non justitiam, sed clamorem. Quam dura conditio, ut posséssio quæ Dómino suo suavitatis fructus afférre débuit, spinarum illum asperitate compúnixerit: hoc est, cùm Judæi Salvatorem debuerint tota fidei devotione suscipere; spinarum eum coronavérunt

passiōne! Quæ Corōna quidem, quantum in Judæis est, erat injuriārum contumelias; quantum in Dómino, erat Corōna virtutum. Compungunt ergo Judæi Dóminum, dum corónant: compungunt, dum crucifigunt. Unde ait Scriptūra Sancta: Vidébunt in quem compunxerunt.

R. Omnes amici mei dereliquerunt me, & insidiantes prævaluérunt mihi: trádidit me, quem diligebam:

\* Et terribilibus oculis plaga crudeli percutientes. subsannabant me: Allelúia.

V. Inter iniquos projecērunt me, & non pepercērunt animæ meæ. Et terribilibus.

### Léctio VI.

**I**gitur, fratres, videte, ne & nobis dicatur: Sustinui ut fáceret uvam, fecit

autem spinas: hoc est, ne spinas, quas Dómino Judæi cruénis imposuerunt manibus, nos iniquis sénsibus apponamus, & compungamus eum, non asperitate séntium, sed óperum pravitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ Verbum Dei étiam vulnerare consueverunt: de quibus méminit in Evangelio Salvátor, dicens: seminantis semen cecidisse inter spinas, & crevisse eas, ac suffocasse quod satum est. Ergo, fratres, videte, ne vínea vestra non uvas, sed spinas fáciat: ne vindémia vestra non vinum áfferat, sed acétum. Quisquis enim vindémiam legit, & pauperibus non largitur, ille acétum colligit, non vinum. Quisquis meses recóndit, & indigéntibus non ministrat; iste non alimoniæ fructus repóquit, sed tribulos avaritiæ congregavit. Nam prop-

té-

téreà: ait Scriptúra de terra nostra: Spinas, & tríbulos germinábit tibi.

R. Vínea mea elécta, ego te plantávi:

\* Quómodò convérsa es in amaritúdinem, ut me spinis coronáres? Allelúia.

V. Sepívi te, & lápides elégi ex te, & ædificávi turrim. Quómodò. Glória Patri. Quómodò.

### IN III. NOCTURNO.

*Aña.* Graváta est super me manus tua: convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina: Allelúia.

*Psalm.* Cantáte Dómino. 1.

*Psalm.* Dóminus regnávit, exultet terra.

*Psalm.* Cantáte Dómino. 2.

V. Eris Coróna gloriæ in manu Dómini: Allelúia.

R. Et diadéma Regni in manu Dei tui: Allelúia.

Léctio S. Evangélii secundum Joánnem.

### Léctio VII. Cap. 19. A.

**I**N illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, & flagellávit. Et mílités plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini  
Episcopi.

*Tract. 116. in Joánn.*

**H**OC Pilátus non obaliud fecisse credéndus est, nisi ut ejus injuriis Ju-dæi satiáti, suffícere sibi existimárent, & usque ad ejus mortem sævire desistérent. Ad hoc pertinet, quod idem Præses cohórtem suam etiam permísit fáceré quæ sequúntur, aut fortássis & jús-

jüssit, quamvis hoc Evangelista tacuerit: dixit enim quid deinde fecerint milites; Pilatum tamen id jussisse non dixit.

R. Christus passus est pro nobis, vobis relinquentes exemplum, ut sequamini vestigia ejus:

\* qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus: Alleluia.

V. Qui cum malediceretur, non maledicébat; cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

### Lectio VIII.

**E**T milites, inquit, plectentes Coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdedérunt eum, & veniébant ad eum, & dicébant: Ave Rex Iudeorum; & dabant ei álapas. Sic implebantur, quæ de se prædixerat Christus: sic marty-

res informabantur ad omnia, quæ persecutori libuisset facere, preferenda: sic paulisper occultata tremenda patientia, commendabatur prius imitanda patientia: sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patienti di humilitate vincébat: sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabili pulularet in gloria.

R. Miltes Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohórtēm; & exuentes eum, chlāmydem coccineam circumdedérunt ei:

\* Et plectentes Coronam de spinis posuerunt super caput ejus: Alleluia.

V. Genu flexo ante eum, illudébant ei, dicentes: Ave Rex Iudeorum. Et plectentes.

tes. Glória Patri. Et plecténtes.

*Lectio IX.*

**E**Xiit ergo Jesus portans Corònâm spíneam, & purpúreum vestiméntum: & dicit eis Pilátus: Ecce homo. Híc appâret, non ignorânte Piláto, hæc à milítibus facta, sive jùsserit ea, sive permíserit; illa scilicet causa, quam suprà díximus, ut hæc ejus ludíbria inimíci libentíssimè bíberent, & ulterioriùs sanguinem non sitírent. Egréditur ad eos Jesus portans spíneam Corònâm, & purpúreum vestiméntum, non clarus império, sed plenus oppróbrio; & dicit eis: Ecce homo. Si Regi invidétis, jam párcite, quia dejéctum vidétis. Flagellátus est, spinis coronátus, ludibriosa veste amíctus est, amáris convíciis illùsus est, álapis cæsus est: feryet ig-

nomínia, frigescat invidia; sed non frigescit, inardescit pótiùs, & incrèscit.

Te Deum laudâmus.

*AD LAUDES,  
& per Horas.*

*Aña.* Mílites Præsidis suscipiéntes Jesum in prætorium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtēm: Allelúia.

*Psalm.* Dóminus regnâvit, cum reliquis de Domínicâ. *ALVANITH*

*Aña.* Et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei: Allelúia.

*Aña.* Et plecténtes Corònâm de spinis, posuérunt super caput ejus, & arún-dinem in déxtera ejus: Allelúia.

*Aña.* Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes: Ave Rex Judæorum: Allelúia.

G

*Aña.*

*Aña.* Et expuéntes in eum , accepérunt arúndinem , & percutiébant caput ejus : Allelúia.

*Capítulum. Cant. 3. D.*

**E** Gredímini , & vidéte, filiæ Sion , Regem Salomónem in diadémate , quo coronàvit illum mater sua in die desponsatiōnis illíus, & in die lœtitiæ cordis ejus.

*HYMNUS.*

**A** Térnæ Regi Glóriæ Devóta Iaudum cántica Fidéles solvant hódiè Pro Corôna Domínica. Corónat Regem ómnium Corôna contuméliæ Cujus nobis opprórium Corònam confert Glóriæ De spinârum aculeis Christo Corôna pléctitur Qua ministris tartáreis

Mundi potéstan tollitur. Corôna Christi cápitis Sacro perfusa sanguine, Pœnis solútis débitis, Reos purgat à crímine. Ut sis peréenne méntibus Paschâle Jesu Gádium; A morte dira críminum Vitæ renátos líbera. Deo Patri sit glória, Et Filio, qui à mórtuis Surrexit, ac Paráclito, In sempitérana sæcula. Amen.

**V.** Dóminus regnâvit de- còrem induit: Allelúia.

**R.** Induit Dóminus for- titúdinem , & præcínxit se virtute: Allelúia.

*Ad Benedictus.*

*Aña.* Milites induunt Je- sum púrpura , & impónunt ei plecténtes spíneam Corônam; & cœpérunt salutare eum: Ave Rex Judæorum: Allelúia.

AD

## AD TERTIAM.

*Aña.* Et exuéntes eum.

*Capít.* Egredímini, ut supra.

*R. brev.* Tuam Corônam adorâmus Dómine: Allelúia, allelúia. Tuam Corônam.

*ψ.* Tuum gloriòsum recólimus triúmphum: Allelúia, allelúia. Glória Patri. Tuam.

*ψ.* Glória, & honôre coronâsti eum Dómine: Allelúia.

*R.* Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum: Allelúia.

## AD SEXTAM.

*Aña.* Et plecténtes Corônam.

*Capítulum.*

*Apocal. Cap. 6. A.*

**V**Eni, & vide, & ecce equus albus, & qui sedebat super illum, habé-

bat arcum, & data est ei Corôna, & exívit vincens, ut vînceret.

*R. brev.* Glória, & honôre coronâsti eum Dómine: Allelúia, allelúia. Glória, & honôre.

*ψ.* Et constituísti eum super ópera mánuum tuârum: Allelúia, allelúia. Glória Patri. Glória, & honôre.

*ψ.* Eris Corôna gloriæ in manu Dómini: Allelúia.

*R.* Et Diadêma regni in manu Dei tui: Allelúia.

## AD NONAM.

*Aña.* Et expuéntes in eum.

*Capítulum. Isai. cap. 28. B.*

**I**N die illa erit Dóminus exercituum Corôna gloriæ, & sertum exultationis résiduo populi sui.

*R.* Eris Corôna gloriæ  
G 2 in

in manu Dómini: Allelúa,  
allelúa. Eris Corôna.

¶. Et Diadêma regni in  
manu Dei tui: Allelúa, al-  
lelúa. Glória Patri. Eris  
Corôna.

¶. Dóminus regnâvit, de-  
còrem índuit: Allelúa.

¶. Induit Dóminus for-  
titúdinem, & præcínxit se  
virtute: Allelúa.

*In secúndis Vésperis, óm-  
nia ut in primis.*

*Ad Magníficat.*

*Aña.* O Corônæ mirán-  
da dígnitas! mortis pœnas  
débitas repéllis; tu spes lap-  
sis, firmitas infírmis, tu  
restáuras corônas pérditas:  
Allelúa, allelúa.

*Orátiō.* Præsta quæsumus,  
ut in primis Vesp. & fit  
comm. S. Joánnis ante Por-  
tam Latínam.

## FESTA JUNII.

### DIE I. JUNII.

*In festo S. Ennecónis Abb.  
Conf. dupl. Offic. de Com-  
muni Confessórum non Pon-  
tificum.*

*Orátiō.*

**P**ropitiare, quæsumus  
Dómine nobis fámulis tuis  
per sancti Confessoris tui  
Ennecónis mérita gloriô-  
sa: ut ejus pia intercessió-  
ne ab ómnibus semper pro-  
tegámur adverſis. Per Dó-  
minum.

### IN PRIMO NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura oc-  
currénte.*

**IN**

## IN II NOCTURNO.

Léctio IV.

**S**anctius major Rex Navârræ, & Aragóniæ considerans, semper se de inimicis suis triumphasse, & omnes illos per circúitum suum sibi subjugâsse: vi-dens étiam, quòd post Mau-rorum invasióinem, láici, sacerdotalisque ordo Ecclésias totius Hispánia habérent; eas Ecclesiásticis viris trádere de-crévit: & áudiens beati Be-nedicti doctrinam ubique ru-tilare, cogitâvit quáliter in Re-giónibus suis eam posset strictiori propagâre obser-vántia: & mittens ad Clu-niacense Cœnobium, evo-cávit indè Abbâtem Patérnum, & cum illo gregem Monachòrum, quos in As-cetério Sancti Joánnis Bap-tistæ, quod nunc de Penna dicitur, constituit. Ex quo Mónachos deinde quosdam

elégit, quibus Onniæ Cœnóbium à Sánctio Cómite só-cero suo constrúctum, pul-sis ex eo auctoritaté Apos-tólica Moniálibus, trádidit incoléndum. Sed García pri-mo Onniénsi Abbâte extíncto, in ejus locum Rex En-neconem, virum apud Ara-gonénses sanctitatis opinióne celeberrimum, suffícere co-gitâvit. Ad quem Eremitârum vitam sub Mónachi há-bitu agéntem, cùm missis plúribus nuntiis nihil pro-fecisset, coáctus est Rex per semetípsum accédere; eúm-que multis précibus tandem exorâtum Onniæ Cœnobio præfécit: quod pluri-mis mu-néribus donátum, sub En-necone Abbâte multò quám ántea fúerat, réddidit illus-trius.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimicis, & à seductóri-bus tutávit illum.

\*

\* Et dedit illi claritatem  
æternam.

¶. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit. *Benedictio.* Christus perpetuae.

*Lectio v.*

**E**NNÉCO ergo verum Pastorem agens, Mónachos docébat, paúperes alébat, ægrotantibus áderat: quæ sua erant oblítus, alienis proféctibus invigilabat. Vitæ sanctitati miracula accesserunt. Nóbiles enim quidam, improbi tamen, qui Dei virum crebris injúriis divexáverant; cùm ánteā amicissimi semper fuissent, mútuis se póstea vulnéribus confécerunt. Rústici étiam, qui incoléndo Cœnobii agro viro Dei óperam suam improbè negáverant: repéntè hortus exáruit: qui mox jus-

su ejusdem aqua benedicta conspérsum, in nativum viròrem ariditatem commutavit. Impetrávit præterea suis precibus à Dómino largíssimum imbre, cum tota illa régio æstu, & sterilitate laboráret.

R. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam gloriæ induit eum.

\* Et ad portas paradisi coronávit eum.

¶. Induit eum Dóminus loricam fidei, & ornávit eum.

Et ad portas. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

*Lectio vi.*

**H**IS igitur, pluribus que áliis miris in dies clárior Beatus Ennéco, apud Sotum longum extra Cœnobium ægrotare gráviter cœpit. Cui, dum ad Cœnobium deportaréatur, visi sunt

sunt occurrere eximiæ pulcritudinis pueri accensas lucernas præferentes; quorum laborem itineris miseratus, ad circumstantes convérsus, eos hortabatur, ut pueros itineris labore fessos foyerent; qui cùm nihil talem cernerent, proculdùbiò Angelos esse cognovérunt. In gravescénte deíndè morbo, vocatos ad se fratres salutáribus mónitis instruxit: santissimisque Ecclésiæ Sacraméntis coram eis devotissimè suscéptis, in Cœlum evolavit Kaléndis Júnii, anno Dómini millésimo septuagésimo primo: sepultusque est in eódem Cœnóbio. Ad istius sepúlchrum plúrima miracula fiunt: quapropter innúmera hóminum utriúsque sexus multitudo quotánnis Kaléndis Júnii, ex ferè triginta illius regionis pópolis circumquaque constitútis, ad Onniæ Cœ-

nóbium cum solémni pompa convénient: Missarúmque sacrificiis Deo ad Sancti Enneconis sepúlchrum cum invocatione ejus oblatis, læti & ovantes, óptima de præsentis anni ubertate spe concépta, recédunt.

R. Iste homo perfecit ómnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:

\* Quia te vidi justum coram me, ex omnibus géntibus.

V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia. Glória. Quia.

## DIE II. JUNII.

In festo S. Joannis de Urtéca, Confess. semidupl. Offic. ut in Comm. Conf. non Pontf. cum comm. Ss. Marcellini, &c. Mm.

Orá-

*Oratio.*

**O**Mnipotens sempitérne Deus, qui B. Joánnem sanctórum Confessórum Collégio aggregásti: concéde, nos in hac lacrymárum valle laborántes, ejus précibus, & méritis tuam semper grátiā promerēri. Per Dóminum, &c.

**IN I NOCTURNO.**

*Lectiōnes* Justus si morte,  
ut in Communi primo loco.

**IN II NOCTURNO.***Lectio IV.*

**J**Oánnes natiōne Hispánus, ab infántia Deum timere edóctus, adoléscens litterárū stúdiis óperam dedit. Présbyter pósteà factus, cùm tota ferè Hispania ob mortem Alfonsi sexti Regis, qui sine liberis decésserat,

hostíli bello flagrāret; ne suòrum cívium dissídia cérneret, secedéndum putāvit. Quare distribútis in páuperes, eos præsértim quos diutúrna bella nudáverant, suis facultátibus, Hierosólymam, ut ea sancta loca invíseret, enavigāvit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum:

\* Et dedit illi claritatēm ætérnam.

¶. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit. *Benedictio.* Christus perpétuae.

*Lectio V.*

**P**ost annum in Hispaniam rédiens, hórridam Aucénsem erénum in loco qui Urtéca vulgò díicitur, juxta viam quæ ducit Com-

Compostéllam, sibi délegít. Quo in loco sacéllum sancti Nicolai nómine, quod ejus intercessióne è maris tempestáte liberátus fúerat, eréxit. Hic itaque factum est, ut ob pópuli frequéntiam via quæ à latrónibus infestabatur, extrúcitis ínsuper in ea tribus pótibus, peregrinántibus pérvia ac tuta redderétur. Charitatis ígitur opéribus totus incúmbens, miráculis clarus Deo beátam réddidit ánimam quarto Nonas Júnii. Sacrum ejus corpus in eòdem sancti Nicolai sacéllo honoríficè cónditum asservátur; quod perpétuis miráculis illustrátum, summa nunc fidélium veneratióne cólitur.

R. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam glóriæ índuit eum:

\* Et ad portas paradísi coronávit eum.

¶. Induit eum Dóminus

lorícam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. *Benedictio. Ignem sui amoris.*

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

*In Orat. de S Philogónio,  
Tom. 3.*

*Léctio. VI.*

**B**EÁTI Joánnis dies, cuius festivitatēm celebrāmus, ad ipsius recte factōrum enarrationēm linguam nostram evocāvit: síquidem hodiē beatus iste ad tranquillam, omnisque perturbationis expertem vitam trānsiit: eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufrágium, nec ullam animi perturbationem aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni moléstia animi, cum Paulus homínibus ad-

H      huic

huc in hac vita degéntibus  
loquens dicat: Semper gau-  
dete, sine intermissione orá-  
te?

R. Iste homo perfécit  
ómnia, quæ locútus est ei  
Deus, & dixit ad eum: in-  
grédere in réquiem meam:

\* Quia te vidi justum  
coram me ex ómnibus gén-  
tibus.

V. Iste est, qui contémp-  
sit vitam mundi, & pervé-  
nit ad cœlestia regna.

Quia. Glória. Quia.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap.  
in Evang. Sint lumbi, cum  
ix. Lectiōne ex duabus Ss.  
Marcellini, &c. Mm. Missa  
Os justi, cum commem. Ss.  
Mart.*

DIE XII. JUNII.

In festo S. Joánnis à S.  
Facundo, Conf. & Ecclésiæ  
Metropolitânæ Burgensis Ca-  
nonici: dup. 2 clas. Omnia  
ut in Communi Confessô-  
rum non Pontificum, sine  
comm. in Vesp. Ss. Basíli-  
dis, &c. Mártyrum.

Oratio.

DEUS auctor pacis, &  
amâtor charitatis, qui beâ-  
tum Joánnem Confessorem  
tuum mirifica dissidéntes  
componéndi grátia decorás-  
ti: ejus méritis & interces-  
sione concède: ut in chari-  
tate divina firmâti, nullis  
tentatiōnibus ab ejus integri-  
tate divellâmur. Per Dómi-  
num nostrum, &c.

IN

## IN I. NOCTURNO.

*Lectiones. Justus si morte,  
de Communi primo loco.*

## IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**J**OÁNNEM Sahagúni in Hispánia nóbili génere natum, paréntes cùm diù prole caruíssent, piis opéribus, & orationibus à Deo impestrárunt. Ab ineúnte ætate egrégium futuræ sanctitatis spécimen dedit: nam è loco superiòri ad céteros púeros crebrò verba faciébat, quibus eos ad virtutem, & Dei cultum hortabátur, eo rúmque dissídia componébat. In pátria Mónachis sancti Facundi Ordinis sancti Benedícti primis litterárum rudiméntis imbuéndus tráditur. Dum iis óperam daret, curávit pater, ut Páro-

clus Ecclésiam administráret: quod munus júvenis nullis rationib[us] addúci pótuit, ut retinéret. Inter familiáres Episcopi Burgénsis adscriptus, ob spectátam ipsius probitátem intimus ei fuit; ab eóque Présbyter, & Canónicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relícta aula Episcopi, ut Deo quiétiùs servíret, omnibus Ecclésiae provéntibus abdicáti, se cuídam sacéllo ad díxit, ubi sacrum quotidiè faciébat, ac de rebus divinis magna cum auditórum aedificatione frequénter concionabátur.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductórib[us] tutávit illum:

\* Et dedit illi claritátem æternam.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei. Et

dedit. *Benedictio.* Christus perpétuæ.

*Léctio v.*

**P**osteà studiòrum causa Salmánticam proféctus, in célebre Collégium Divi Bartholomæi cooptatus, Sacerdótis munus ita exérçuit, ut simul optátis stúdiis in-cúmberet, & in sacris étiam conciónibus assíduè versaré-tur. Cùm verò in gravíssimum morbum incidisset, arctiòris disciplinæ voto se obstrínxit: quod ut rédde-ret, cùm priùs cuídam páu-peri penè nudo ex duabus, quas tantùm habébat vestes, meliòrem dedísset, ad Cœnó-bium sancti Augustíni se-veriòri disciplína tum máxi-mè florens se cóntulit: in quo admíssus, obediéntia, animi demissióne, vigíliis, ac ora-tiōne proiectiōres anteíbat. Triclinii cura cùm ipsi de-

mandàta esset, vini dolío-lum, ipso attingénte, ómni-bus Mónachis per annum abúndè suffécit. Exácto ty-rocínii anno, Præfécti jus-su munus concionándi sus-cépit. Salmánticæ id tém-poris ádeò crûéntis factiό-nibus divìna, humánaque ómnia permíxta erant, ut síngulís propémodùm horis cædes fierent, & ómnium órdinum, ac præsértim nobílium sanguine non solum, & fora, sed templa étiam redundârent.

R. Amávit eum Dóminus, & ornávit eum, stolam gló-riæ induit eum:

\* Et ad portas paradísi coronávit eum.

¶ Induit eum Dóminus loricam fídei, & ornávit eum. Et ad portas. *Bene-dictio.* Ignem sui amoris.

## Léctio VI.

**A**T Joánnes tum conciónibus , tum privátis collóquii s cívium ánimos demúlcens , ad tranquillitátem urbem redúxit. Virum Príncipem gráviter offéndit, quòd illius in súbditos sævitiam increpásset. Qua de causa équites duos immísit, qui eum in itínere confóderent. Jamque ad ipsum propinquáverant , cùm stupore divinitùs immísso , simul cum equis immóbiles stetérunt, donec ad pedes sancti viri provolúti , scéleris véniām precaréntur. Ipse quoquè Princeps repentina terrire percúlsus jam de salute desperáverat , cùm revocáto Joánnē facti pñentiens incolumitáti rédditus est. Factiōsi étiam hómines, cùm eum fústibus péterent , bráchiis diriguére ; nec antè réditæ vires, quām delícti vé-

niam precaréntur. Christum Dóminum , dum sacrum fáceret , præséntem contuéri, atque ex ipso divinitatis fonte cœlestia mystéria haurire sólitus. Abdita cordis inspicere, ac futura raro evéntu præsagire frequens illi fuit. Fratrísque fíliam septénnem mórtuam excitávit. Dénique mortis die prænuntiato , & Ecclésiæ Sacraméntis devo-tíssimè suscéptis , extrémum diem clausit , multis ante, & post óbitum miráculis gloriōsus. Quibus ritè probátis Alexánder Octávus Sanctórum número eum adscripsit.

R. Iste homo perfécit ómnia , quæ locútus est ei Deus , & dixit ad eum : Ingrédere in réquiem meam :

\* Quia te vidi justum coram me ex ómnibus géntibus.

y. Iste est, qui contémpsit vitam mundi , & pervénit

nit ad cœlestia regna. Quia.  
Glória. Quia.

### IN III NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evang. Sint lumbi, ut in Commun. cum nona lect. Ss. Basílidis, &c. Mártyrum. Missa Os justi. cum commemorat. Ss. Mart. in Missis privat. & sine Credo extra Matric.*

---

### DIE XVI JUNII.

*In festo Ss. Quiríci, & Julítæ Mártyrum; semid. Offic. de Commun. pluri-morum Mártyrum.*

#### Orálio.

**D**EUS, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuorum Quiríci, & Julítæ, natalitia cólere: da nobis

in ætérna beatitúdine de eòrum societâte gaudere. Per Dóminum, &c.

### IN I. NOCTURNO

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

### IN II. NOCTURNO.

*Léctio IV.*

**Q**uirícus, & Julítæ nóbili quidem génere, sed fide Christiâna clariôres, Icónii in Lycaónia nati sunt. Julítæ defúncto viro, cui parvo témporte matrimonio juncta fúerat, abjéctis ceterarum rerum curis, totam se Jesu Christo devòvit; si júmque Quirícum, quem únicum ex eo edíderat, baptizátum, ut idóneum mili-tem Dómino parâret, piè ac religiósè educâre cœpit. Paulò pòst furénte sub Dio-

pletiano máxima in Christianos persecutiōne de filio-  
li sui, qui adhuc ubera su-  
gēbat, salūte admodum ánxia,  
Præsidum immanitati  
iræque cédere cōgitur. Ita-  
que relictis, quibus afflu-  
bat ópibus, Icónio recedit:  
ac primùm Seleúciam, deín-  
dè Tharsum Cilíciæ, unà  
cum fílio trienni áufugit.

**R.** Sancti tui Dómine mi-  
rabile consecuti sunt iter, ser-  
víentes præceptis tuis, ut in-  
veniréntur illæsi in aquis vá-  
lidis:

\* Terra appáruit árida:  
& in mari Rubro via sine  
impedimento.

**V.** Quóniam percússit pe-  
tram, & fluxérunt aquæ,  
& torréntes inundavérunt.  
Terra appáruit. *Benedictio.*  
Christus pérpetuæ.

**Léctio v.**

**I** Bi cùm aliquámdiù  
latuisset, tandem mulier  
verè pia Christiānam fidem  
palam prófitebatur, diutiùs oc-  
cultari non potuit. Nam ad  
Alexandrūm Præsidem, qui  
paulò ante Seleúcia Thar-  
sum ad exercéndam in Chris-  
tiānos persecutiōnem véne-  
rat, delata quod Christiāna  
esset, statim comprehensa,  
ad ejus tribunal unà cum fi-  
lilio Quirico sítitur. A quo  
interrogata, num Diis sacri-  
ficare vellit, Christiāna sum,  
inquit, verūmque Deum  
culo. Dii autem vestri dæ-  
mones quidem sunt, ut qui  
neque umquam fuerint. Quo  
respónso irritatus Præses, ab  
ejus manib[us] puérulum ab-  
réptum in ulnas suas accé-  
pit, illamque nudari, ac  
boum nervis dirissimè cæ-  
di jubet; oscula interim plo-  
ránti púero dabat, blandie-  
bâ-

bátur, ac sensim caput ejus demúlcens, eum ad se pellicere conabátur. Quem tamen beátus puer, cui spíritus Dei ínerat, aversátus, implacábili luctu matrem respiciébat; Præsidísque vul- tum mánibus lacerábat, ejus latéribus quoad per infírmam ætátem póterat, péribus insultans.

R. Vérbera carníficu[m] non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nōmine.

\* Ut herédes fierent in domo Dómini.

V. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. Ut herédes. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

*Léctio VI.*

**Q**Uare gráviter com móitus Præses manu sua púerum ex alto tribunáli in subjéctos gradus lapídeos de-

jíciens unà cum sacro cápi te totum quoquè Athlétæ corpuscúlum contrívit. Ju líta verò mater læta quòd Dómino ad sacrificium fílium præmisíset, grátias agit Deo; magisque ad subeúndum martyrium confirmáta, tyránnum his verbis compellat: Noli (inquit) putáre me ádeò tímidi, & pu silli ánnimi, ut vincar à tuis supplíciis; nullum sanè tormentórum genus, quamvis acérbum, me à charitáte Christi separábit. His verbis ad iram concitátus Præses, sanctam mulíerem in ligno suspéndi, ejúsque carnes férreis pectínibus laniári, tum fervénti picé perfundi jubet. Ea autem, cùm tormenta ómnia invícto ánimo superáasset, tandem martyrii sui cursum obtruncatióne cápitíis complévit. Insígnes horum Mártyrum relíquiæ, Quiríci caput, & bráchium

chium Julitæ in Ecclésiam  
Collegiátam i prope Burgén-  
sem civitatem póstea trans-  
látæ, in summa nunc pó-  
puli veneratiōne habéntur.

**R.** Tamquam aurum in  
fornâce probâvit élertos Dó-  
minus, & quasi holocáusti  
hóstiam accépit illos: & in  
témpore erit respéctus illò-  
rum: stimulat s' de misericordia

\* Quóniam donum, &  
pax est éléctis Dei.

v. Qui confidunt in illum,  
intelligent veritatem: & fi-  
dèles in dilectione acquies-  
cent illi. Quóniam donum.  
Glória Patri. Quóniam.

DIE XXVIII. JUNII.

*In fest. S. Juliánæ Virginis & Mártiris; semid. Officium, ut in Communi.*

**I**ndulgéntiam nobis,  
quæsumus Dómine, beata  
Juliána virgo & martyr im-  
plôret: quæ tibi grata sem-  
per extitit & mérito casti-  
tatis, & tuæ professione  
virtutis. Per Dóminum nos-  
trum Iesum Christum.

## IN I. NOCTURNO.

## Lectiōnes de Scriptūra occurrente.

## IN II. NOCTURNO.

## *Léctio IV.*

**J**uliána nóbilis virgo,  
nata est Nicomedíæ in Bi-  
thynia, ex paréntibus éthni-  
cis velut pretiósum aurum  
ex terra stérili. Eam cùm  
Evilásius ex órdine Senató-  
rio ab Africáno vírginis  
patre sibi multò antè des-

I pón-



pónsam, jam viro aptam cérneret ad matrimónium postulare cœpit. At beata virgo, quæ à prima ætate Christiánæ fidei præceptis instituta, Jesum Christum sponsum sibi delégerat, carnáles núptias, várias necténdo causas, constánter recusábat. Ille tamen in dies Juliánam veheméntius urgébat. Quæ, ut se ab impúri hóminis procacitáte tantisper liberáret, hunc cum eo sermonem hábuit: Noli, inquit, me diútiùs ad núptias sollicitare; numquam enim me ducturus es uxorem, nisi præfecturæ munus ab Imperatore accéperis. Evilásius, ut vírginem, quam misérè deperíbat, assequérétur; præfectura multis labóribus ac pecúniis tandem impetrata, Juliánam rursus ad núptias urget. Quare sétiens illa, nullum jam dissimulatiōni locum esse relíctum, pará-

tam sese ait, dūmmodo fidem Christi & ipse profiteatur; affírmans nullam veram, ac diutúrnam esse posse animórum conjunctiōnem inter eos qui religiōnis cultu secum ipsi dissidérent. Hæc aúdiens Evilásius, veheménter Juliánæ succénset; ejus patri rem omnem expónit; queritur se à fémina delúsum.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: \* Et deducet te mirabiliter déxtera tua.

V. Spécie tua, & pulchritudine tua intende, prósperè procéde, & regna. Et deducet. *Benedictio. Christus perpétua.*

**Léctio V.**  
**E**A re pater Africá-nus valdè commótus, filiam blandis primùm verbis ad  
**Præ-**

Præsidis nuptias adhortatur.  
Tum videns eam in propósi-  
to constántem, feris, & cá-  
nibus eam se objectúrum  
minátur, nisi statim impera-  
ta faciat. At illa nihilomi-  
nus in succépto semel con-  
silio fortiter persevérans, quid  
cunctáris pater? inquit. Ir-  
ruant in me canes & feræ;  
véniant in me torménta óm-  
nia. Ego autem sperabo in  
Deo Jesu, qui me ab óm-  
nibus malis poténter erípet.  
Hujusmodi respónso furòre  
concitátus pater, vírginem  
gravíssimè cæsam Evilásio  
trádedit, ut eā, prout vellet,  
abuterétur. Quam cùm ille,  
tentata modis ómnibus ejus  
pudicítia, in suam sentén-  
tiā perdúcere non posset,  
capillis suspéndi, & diríssi-  
mè flagellári jussit. Eam deín-  
dè váriè cruciátam, ac tetro  
cárceri inclúsam, humáni  
généris hostis se in Ange-  
lum lucis transfigurans, Chris-

ti nómine hortátur, ut suæ  
ipsius imbecillitatis rationem  
hábeat: cole, inquit, jam  
Deos; non enim suffícies tot,  
tántaque subire supplícia,  
quæ Præses advérsùm te pa-  
rávit. Illa verò rei novitátē  
percúlsa, cùm clamásset ad  
Dóminum, statim adversá-  
rii technas intelléxit, voce  
è cœlo delápsa in hæc verba:  
Confide Juliána, ego enim  
sum tecum. Tunc decéptor  
diábolus palàm appáruit vinc-  
tus, vírgini obtémperans.

R. Dilexísti justitiam, &  
odísti iniquitatem.

\* Proptéreà unxit te  
Deus, Deus tuus oleo læti-  
tiæ.

¶. Propter veritatem, &  
mansuetudinem, & justi-  
tiam. Proptéreà. *Benedictio.*  
Ignem sui amoris.

## Léctio VI.

**J**uliána è cárcere ítem  
rum edúcta , Præsidis jussu  
in ardéntem fornàcem in-  
jicitur. Cujus veheméntem  
ignem contínuò lácrymis mi-  
rabíliter extínxit ; quo mi-  
ráculo multi in Christum  
credidérunt. Id Evilásius cùm  
iniquo ánimo ferret ; atque  
jam intelligeret , tot illáta  
in Juliánam supplícia nihil  
profícere , sed magis ejus  
constántiam corroborare ;  
gladio eam pércuti jubet :  
quæ obtruncáto cápite ad  
duplicátam martyrii , & vir-  
ginitatis palmam læta per-  
vénit , tum demum evan-  
cénte diábolo , qui à sanc-  
ta Juliána palam vínculis con-  
tríctus eò usque fúerat. Mú-  
lier autem quædam nômi-  
ne Sóphia , tunc fortè Ni-  
comedía prætériens , sacrum  
vírginis corpus sublátum , in  
Campániam deportàvit. Un-

dè constat ex antiquissima  
traditiōne , ejusdem beátæ  
vírginis córporis partem in  
Burgénsis Diœcésis óppidum ,  
(quod à sancta Juliána , cor-  
rúpto vocábulo , nunc San-  
tillána vulgò dicitur) fuisse  
delátam , & in pervetústo tem-  
plo cónditam. Pósteà verò ,  
cùm Alfónsus à Carthagéna ,  
Burgénsis Epíscopus eam Ec-  
clésiam pro múnere pastorali  
visitáret ; ac cérneret , sacras  
relíquias in médio templi hu-  
míliter ac obscurè jacère ;  
eas in sublimiorem , ac no-  
biliorem ejusdem templi lo-  
cum , magna cleri ac pópu-  
li frequéntia tránstulit : sta-  
tuítque , ut deinceps singu-  
lis annis ejus translationis  
festum hoc die solémni ritu  
celebrarétur.

R. Afferéntur Regi vírgi-  
nes post eam , próximæ  
ejus.

\* Afferéntur tibi in læ-  
títa & exultatiōne.

¶. Spécie tua & pulchritudine tua inténde, prósperè procède, & regna. Afféruntur. Glória Patri. Afféruntur.

clésiæ in Breviar. & Missáli Rom. cum Credo in Missa: sed sine parenthesi Orationis Secretæ extra Matric.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evang. Símile est regnum cœlorum thesáuro, ut in Commun. non Virg. Rx. de suo Commun. nona lect.*  
*Homil. Vigil. Ss. Apost. & com. Missa. Me expectavérunt, de Commun. commem.*  
*Vigil. & ejus Evang. ultim.*

### DIE XXIV. JULII.

*In festo Sanctæ Margaritæ Virgin. & Mart. semidupl. Offi. ut in Comm. Virg.*

#### Oratio.

**I**ndulgéntiam nobis, quæsumus Dómine, beata Margarita virgo, & martyr implöret: quæ tibi grata semper éxitit, & mérito castitatis, & tuæ professio-ne virtutis. Per Dóminum nostrum Iesum Christum.

### FESTA JULII.

### DIE XX. JULII.

*In festo Dedicatiōnis Ecclésiæ Metrop. Burgéns. dup. 1 class. cum Octav. & étiam in omnibus Ecclésiis ubi propria non celebratur. Omnia ut in Comm. Dedicatiōnis Ec-*

### IN I. NOCTURNO.

*Lectiōnes de Scriptūra occurrēte.*

IN

## IN II. NOCTURNO.

*Léctio IV.*

**M**Argaríta, ( quæ & Marína ) Antiochíæ Pisidiæ , Patre Edéssio idólorum sacerdòte nata , à téneris annis christiànae religiònì ad-dicta , baptizáta est. Quæ cùm exímia esset pulchritú-dinis , à Præfècto Olybrio adamâtur , cùmque eam sibi sisti jubéret , ità illam alló-quitur : Tuum nobis , puélla , & nomen & religiònem edí-cito ? Tum illa , Margaríta , inquit , vocor ; générè sum nòbilis , religiònè christiàna .

R. Propter veritátēm , & mansuetúdinem , & justítiam :

\* Et dedúcet te mirabí-liter déxtera tua .

¶ Spécie tua , & pulchri-túdine tua inténde , prósperè procéde , & regna . Et dedúcet . *Benedictio.* Christus perpétuæ .

*Léctio V.*

**A**T Præses : Duo pri-ma conveniéntia sunt , té-rium absúrditas est : nam quid stúltius , quàm ut Deum sibi quis fáciat crucifíxum ? Ad hæc virgo : Undè , dic oro , didicísti , Dóminum Jesum fuisse crucifíxum ? Tum Præses : Ex libris Chris-tianòrum . Cui Margaríta : Quænam verecúndia est , ut cùm in eisdem libris legâ-tur & pœna Christi & gló-ria , alterum credâtis , alte-rum respuâtis ?

R. Dilexísti justítiam , & odistí iniquitátēm .

\* Proptérea unxit te Deus , Deus tuus óleo lætitiæ .

¶ Propter veritátēm , & mansuetúdinem , & justítiam . Proptérea . *Benedictio.* Ignem sui amôris .

*Léc-*

## Léctio VI. II. III

**H**IS veheménter ira accénsus Præféc tus vária tormentórum génera in sancto illo corpúsculo consúmpsit: primum enim virgis cæsam, deíndè úngulis fos-sam, in cárcerem trudi ju-bet: ubi & spectro dæmo-nis appétitur; sed ad signum Crucis tota vis diáboli pro-stérnitur. Prodúcitur iterum virgo: & cùm in confessió-ne fídei constántior perse-veráret, ardéntibus fácibus látera ejus exurúntur: déni-que multis superátis tormén-tis, truncáto cápite, victórem per tot corónas spíritum cœlum excépit.

R. Afferéntur Regi vír-gines post eam, próximæ ejus.

\* Afferéntur tibi in læ-titia, & exultatiōne.

V. Spécie tua & pulchri-tudine tua inténde, próspe-

rè procéde, & regna. Af-fé-rentur. Glória Patri. Af-fé-rentur.

## IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evang.* Símile est regnum cœlòrum thesáuro, ut in Commum. non Vírginum. R. de suo Commum. nona lect. *Homil. Vigil. Sancti Ja-cobi Apóstoli*, ut in Ss. His-pan. commemorat. *Infraoc-tav. Vigil.* & S. Christí-næ: Orat. Deus, qui inter cé-tera. *Missa*, Me expectavé-runt, cum commem. *Infra-octav. Vigil.* & S. Christí-næ: Orat. ex Missa Loquébar, *Evang. ultim. Vigil.*

## FESTA AUGUSTI.

## DIE VII. AUGUSTI.

*In festo Sanctórum Mártyrum Stéphani Abbátis, & du-*

*ducentōrum sociōrum Mártyrum Karadignæ, duplex, ut in Commun. plurimorum Máriyrum.*

*Orálio.*

**P**Ræsta quæsumus omnípotens Deus: ut qui gloriósos mártires Stéphanum Abbátēm & sócios ejus, Mónachos Karadignæ, fortes in sua confessione cognóvimus, pios apud te in nostra intercessione sentiāmus. Per Dóminum.

*IN I. NOCTURNO.*

*Lectiōnes.* Fratres, debitores, ut in Commun. primo loco.

*IN II. NOCTURNO.*

*Lectio IV.*

**T**Empore, quo Arábium sæva tyránnis in Hispánia Christiānos affligeret, atque Zafa eòrum rex ímpius, Castellæ Provínciam devastaret; potíssimum verò Dei servos, fidei Christiānæ præpugnatòres, viros religiósos, quos sciret esse ipsorum exēcrabilis sectæ acérrios imputugnatòres, veheménter exagitaret: inter álios venerabiles Mónachos, qui divérsis in locis Hispaniārum, propensiōri cultu Deo servíentes, eorūdem persecutiōibus premeréntur; feli ciōres illi fuére, qui apud Burgos in Monastério sancti Petri (de Karadigna nomi nati) egrégia vitæ sanctitāte floréntes, digni invénti sunt, qui omnes simul, ducénti

número, ad martyrii corónam promoveréntur à Dómino Jesu Christo.

R. Sancti tui Dómine miráble consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, ut inveniréntur illæsi in aquis válidis:

\* Terra appáruit árida: & in mari Rubro via sine impediménto.

¶. Quóniam percússit petram, & fluxérunt aquæ, & torréntes inundavérunt. Terra appáruit. *Benedictio.* Christus perpétuæ.

### Léctio v.

**H**i enim sub Stéphano ipsórum Abbâte viro sanctíssimo ad spiritualem palæstram júgiter exercitati, & carnem víncere, mundum contémnere, & debellare aéreas potestâtes edócti; audiéntes eósdem adésse Arabes, minístros Sátanæ, ip-

sórum sanguinem sitiéntes, nullam suscípere voluère redemptiōnem, ut meliorem invenírent resurrectiōnem: sed unáimes, Dei armatūra poténtes, spíritu fervéntes, ad quæque mala subeúnda perstitére constántes. Probéque intelligéntes, quòd non sunt condignæ passiōnes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis; mútuis se exhortatiōnibus ad subeúndum martyrium roborárunt, atque assíduis précibus muniérunt.

R. Vérbera carníficum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nōmine:

\* Ut herédes fíerent in domo Dómini.

¶. Tradidérunt cōpora sua propter Deum ad supplicia. Ut herédes. *Benedictio.* Ignem sui amôris.

## Lectio VI.

**S**IC igitur divina grácia confirmáti, in monastérii claustro fortes ánimo consisténtes, summa patiéntia irruéntes excepérē carnífices: à quibus singuli crudéliter juguláti, optátam corónam martyrii percepérunt octávo Idus Augústi, fēria quarta, anno salutis octingentésimo vigésimo quarto. Sepúlti sunt ibidem sancti mártires à Christi fidélibus, qui illuc convennēre, postquam funésta Arábum cohors indè recéssit. Deus autem, qui suos mílitates non solùm corónat in cœlis, sed in terris efficit gloriósos; ad ipsórum mártirum glóriam locum illum célebri miráculo illustrávit, dum plúribus subsequéntibus annis, die anniversária ipsórum cædis, tamquam recénti cruore aspérum,

eúmdem rubéntem osténdit. Sed etiam penè extíctam injúria téporum ipsórum memóriam reddit sua auctoritāte Sedes Apostólica redívivam, atque eam celebrándam ómnibus fidélibus re-præsentat.

R. Tamquam aurum\* in fornâce probavit eléctos Dóminus, & quasi holocáusti hóstiam accépit illos: & in témpore erit respéctus illorum:

\* Quóniam donum & pax est eléctis Dei.

v. Qui confídunt in illum, intellégent veritatem: & fidéles in dilectione acquiéscēt illi. Quóniam donum. Glória Patri. Quóniam.

## IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Ambrósii Episc. in Evang. Descéndens Je-sus, ut in Communi secundo loco, nona lect. S. Donáti, Episc. & Mart. Missa Sa-pientiam, commem. S. Donáti sine Credo extra Matric.*

## DIE XIII. AUGUSTI.

*In festo Ss. Centóllæ, & Hélenæ Virg. & Mart. dupl. ut in Commun. Virg. & Mart. Aña. pro Vesp. & Laud. Pruden-tes, &c. v. Adducéntur, &c. Miss. Loquébar.*

## Oratio.

**D**A nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctarum Vírginum, & Mártirum Centóllæ, & Hélenæ palmas incessábili de-votiōne venerári: ut quas dig-

na mente non póssumus cele-brare, humílibus saltem fre-quentēmus obséquiiis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

## IN I. NOCTURNO.

*Lectio-nes de Scriptúra oc-currénte.*

## IN II. NOCTURNO.

## Léctio. iv.

**C**Entólla nóbilis virgo Hispána, Christiánæ fídei accusáta, Procónsuli Hispánam tunc Provínciam administránti sístitur. Qui cùm vírginis invictam in Christo prædicándo constán-tiam animadvertisset, eam multis torméntis cruciátam, Eglísio Præfécto, severioribus vel gravióribus, si non mutáret ánimum, afficiéndam pœnis trádidit. Is vírginem

blandis verbis, ac magnificis promissis ad Deorum veneratiōnem hortātur: sed illa, quæ Christum Dóminum alta mente concéperat, Præsidem sic allóquitur: Quid me, inquit, cogis fictiles Deos adorāre, qui nec aures habent ad audiēndum, nec óculos ad vidēndum, nec manus ad opitulāndum? Equidem Deum verum & vivum, ómnium Creatōrem agnoscō, in cujus me holocáustum libénter óbtuli.

R. Propter veritātem, & mansuetudinem, & justitiam:

\* Et dedūcet te mirabiliter déxtera tua.

¶. Spécie tua & pulchritudine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedūcet. *Benedictio. Christus perpétuæ.*

### Léctio v.

**T**unc Egl̄sius minis ac immāni verbōrum terrire vírginem de propórito coléndæ Christiānæ fídei removére nítitur: sed ubi vidiit se in ea óperam pérdere; ira excandescens, vária tormentōrum génera, equúleum, péctines, úngulas, virgásque férreas ad torquéndam vírginem ádhibet: deíndè abscíssa ei māilla, in cárcerem includi jubet. Tum mulieres quædam intromíssæ spécie pie-tatis casum vírginis deplorant, dolent: eam tamen solántur, atque rogant, ut suæ infirmæ ætatis ratiōnem hábeat, utque Præsidi obtemperet, & vitæ suæ parcat. Illa verò tranquilla, ac seréna fronte, multò majòra pro Christo pati torméntase parátam ait. Si scirent ipsæ, quæ martyribus præmia

mia manérent, invidérent pótius, sibique gratularéntur, non dolérent. Quamobrem Eglísius valdè irátus, vírgini ipsius jussa spernénti, ac probra in Deos jacíenti, linguam præcidi ímperat.

R. Dilexísti justíiam, & odísti iniquitátem:

\* Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiae.

¶. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justíiam. Proptéreà. *Benedictio. Ignem sui amoris.*

### Léctio VI.

**A**Derat tunc Hélena, & ipsa nóbili génere virgo, quæ cùm ánimo Christianam fidem cóleret, Centóllam ad martyrium veheménter accéndebat; eámque hortabátur, ut in fídei confessione persísteret. Cui Cen-

tólla, quamvis lingua caréret, mirabíliter tamen in hæc verba respóndit: Ego, inquit, hos cruciátus libénter pérfero; tu verò vide, quæ paulò pòst simul mecum pro Christo trucidanda es, non defícas. Præses ubi vidit Centóllam superári non posse, véritus ne illius prædicatiōne & exémplo álii quoquè ad fidem converteréntur, ambas gládio pércuti jubet. Sacra verò harum vírginum cópora multis pòst sæculis ab Episcopis Legionénsi, & Asturicénsi, constrúcto in utriúsque honòrem templo, in loco Siária juxta flumen Uzron honoríficè collocáta sunt. Ubi cùm incolárum negligéntia in obscúro ac neglécto loco jacérent, Gundisálvus Episcopus Burgensis anno millésimo trecentésimo décimo séptimo indè subláta, nóbili pompa in

in suam Ecclésiam tránstu-  
lit, prídie Nonas Augústi:  
quo in die earúmdem vín-  
ginum festum solémni ritu  
celebrári jussit.

R. Afferéntur Regi vír-  
gines post eam, próximæ  
ejus.

\* Afferéntur tibi in læ-  
tízia & exultatiōne.

v. Spécie tua & pulchri-  
túdine tua inténde, prós-  
perè procéde, & regna. Af-  
feréntur. Glória Patri. Af-  
feréntur.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap.*  
*Evang.* Símile est Regnum  
 cœlorum decem Virginibus,  
 ut in Commun. cum nona  
 lect. *Ss. Mart. Hyppóliti,*  
 &c. & commen. *Infraoctav.*  
*S. Lauréntii*, & *Ss. Mart.*  
*Missa Loquébar*, orát. &  
*Epist.* de Commun. plurim.  
*Virg.* & *Mar.* cum com-

mem. út in *Laudib.* sine  
*Credo. extra Matric.*

### DIE XVI AUGUSTI.

*In festo Sancti Rochi Con-  
 fess. dupl. in Urbe solúm.*

#### Oratio.

**D**EUS, qui nos beáti  
 Rochi Confessoris tui án-  
 nua solemnitate lætificas:  
 concéde propítius, ut cujus  
 natalitia cólimus, étiam ac-  
 tiones imitémur. Per Dómi-  
 num nostrum.

### IN I. NOCTURNO.

*Lectiōnes de Scriptūra oc-  
 currēnte.*

*In secundo, & tértio Noc-  
 túrno de Commun. Confess. non  
 Pont. primo loco, cum comm.  
 Octav. Assumpt. & S. Lau-  
 réntii Missa Os justi, cum  
 comm. út in Laud. cum Credo.*

DIE

## DIE XXVI. AUGUSTI.

*In festo S. Victóris Presbyteri, & Mart. dupl. ut in Commun.*

## Oratio.

**P**Ræsta quæsumus omnipotens Deus: ut qui beati Victóris Mártiris tui natalitia cólimus, intercessione ejus in tui nōminis amore roboremūr. Per Dóminum.

## IN PRIMO NOCTURNO.

*Lectio de Scriptura occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

## Léctio IV.

**V**ictor Martyr in oppido Cereso Burgensis agri natus, lítteris & bonis móribus institutus, factus

cléricus, per gradus ecclesiasticorum órdinum ad sacerdótium promótus est. Quo in múnere cùm aliquándiu laudabiliter ministráset, di-vínæ contemplatiōnis amôre accénsus, in erémum Onniæ se cónculit: ubi in spelúnca jejúniis & oratiōnibus vacans, Angelis símilem vitam duxit. Post septem verò annos Cerésum natálē solum divíno móritu redire jubéatur; ut illud longa obsidiōne Maurorum fatigátum liberaret; fore simul, ut obsidiōnem sólveret, & conseqüeretur ipse martyrium. Parrens igitur absque mora Victor Deo jubénti, animoque ob promissiōnes erécto, recédens è solitúdine, impavidus intulit se in hóstium castra.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimícis, & à seductóribus tutávit illum.

\* Et dedit illi claritatem  
æternam.

℣. Descenditque cum illo  
in foveam: & in vinculis  
non dereliquit eum. Et de-  
dit illi. *Benedictio.* Christus  
perpetuae.

*Léctio V.*

**I**bi manens, instans  
verbo doctrinæ, complures  
Christianorum, qui à fide  
desciverant, revocavit, &  
nonnullis Mauris Christiano-  
rum amplæcti religionem  
etiam persuasit. Tentus ve-  
rò, jussusque ad regem cau-  
sam dicturus adduci; invén-  
tum eum podagræ morbo la-  
borantem sanavit. Majori ex  
édito miráculo accépta fidu-  
cia Evangélium prædicandi,  
cùm uberiorem in deis collí-  
geret ex infidélium conver-  
sione provéntum, indigna-  
tionem regis incúrrit: Fu-  
rore enim percitus ingratus

Bárbarus Victòrem in cár-  
cerem detrudi præcēpit: ubi  
cùm ad se accedentes ad  
Christum converteret, ab  
eodem Rege supplício cápi-  
tis condemnatur. Accépit ip-  
se latus sententiam; sed ut  
levem eam accessione pœnâ-  
rum fieri atrociorem opta-  
vit.

R. Desidérium animæ ejus  
tribuisti ei Dómine.

\* Et voluntate labiorum  
ejus non fraudasti eum.

℣. Quóniam prævenisti  
eum in benedictionibus dul-  
cedinis: posuisti in capite  
ejus corónam de lápide pre-  
tiôso. Et voluntate. *Benedic-  
tio.* Ignem sui amoris.

*Léctio VI.*

**D**ucéndus igitur ad  
supplícium Victor, cruce,  
cujus semper fuerat prædi-  
cator & cultor, frui cúpiens,  
précibus à regis ministris  
ob-

obtínuit, ut prímùm ageréetur in crucem; deíndè ex mandáto regis cápite truncaréatur: ubi lætus tríduo pendens, índeque velut è púlpito Evangélium prædicans, sequéntibus signis nonnúllos ad fidem perdúxit. De-rísor verò, qui eum cónspuit, ut sanctus prædixit, repentina morte multàtur. De cruce póstea depóitus, gládio percútitur: qui tam-en adhuc vita supérstes, abscíssum suum caput appre-héndens mánibus sústulit: sic Victor de parta victória triumphàvit. Ad tantum spec-táculum Mauri perterrefác-ti, (secúndùm illud pro-phéticum: Tunc conturbátì sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tre-mor; obriguérunt omnes habitatòres Chánaam) solúta obsidiònē recédunt. Oppidáni verò liberatòri suo pos-tréma piè, sáncteque solvén-

tes, honorífica semper sunt eum memória prosecuti.

R. Stôla jucunditatis in-duit eum Dóminus:

\* Et corònā pulchritú-dinis pósuit super caput ejus.

℣. Cibâvit illum Dómi-nus pane vitæ & intelléctus: & aqua sapiéntiæ salutáris potàvit illum. Et corònā. Glória Patri. Et corònā.

### IN III NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evangel. Si quis vult post me, ut in Commun. se-cundo loco, nona lect. S. Zephiríni Pap. & Mart. & ejus commém. Aña. & ℣. de 1. Vesp. Missa. In virtúte, cum commemor. S. Zephiri-ni, Evang. ut in Offic.*

## FESTA SEPTEMBRIS.

## DIE V. SEPTEMBRIS.

*In festo Commemoratiōnis S. Juliāni Episcopi, & Confessoris, dupl. Offic. de Commun. Confess. Pontif.*

## Orálio.

**D**EUS, qui nos beáti Juliáni Confessoris tui atque Pontíficis veneranda Commemoratiōne lætificas: exulta in nobis, quæsumus, ejus spíritum innocéntiae, & charitatis; & præsta, ut cuius recólimus mérita, per ejus ad te gradiamur exempla. Per Dóminum.

## IN I. NOCTURNO.

*Lectio[n]es de Scriptura occurrēnte.*

## IN II. NOCTURNO.

*Lect. propr. ut in Breviario in Ss. Hispan. vel ut 28. Januárii in eodem loco Breviar.*

## IN III. NOCTURNO.

*Homil. Venerab. Bedæ Presbyteri in Evang. Nolite timere pusillus, ut in Commun. Conf. non Pónfic. 2. loco R. 7. de suo Communi. Oratio propr. vel Da quæsumus. Missa propr. vel ut 22. Júnii, mutato nomine. Orat. & Evang. ut in Offic.*

## DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

*In festo Sanctæ Theclæ Virg. & Mart. dupl. in Matrice solūm. Omnia ut in Communī, præter sequentia.*

*Orá-*

## Oratio.

**D**EUS, pro cuius nōminis glória magnum certāmen passiōnum beāta Thecla virgo & martyr tua, feminarum prima, invicta fide sustinuit: da nobis ejusdem fidei imitatiōne, próspera mundi despícere, & nulla ejus adversa formidare. Per Dóminum nostrum.

## IN I. NOCTURNO.

*Lectio de Scriptura occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**T**Hecla virgo ex illústribus paréntibus Icónii in Licaónia nata, à Paulo Apóstolo fidei præcéptis instituta fuit. Cùm enim idem Apóstolus Icónium ad Chris-

ti Evangélium prædicándum accessisset; eūnque mystéria fidei, & castitatis laudes exponéntem Thecla audivíset; sic ad fidem, & virginitatis propósitum ánimum inténdit, ut Thamyridem júvenem nobilitáte ac forma præstantíssimum, cui illam paréntes despónderant, invicto ánimo desérere, ac cœlestis sponsi Jesu Christi nuptias amplécti omnínō degréverit. Vitam itaque, quam ex Apóstoli præscrípto ad Evangélicæ perfectiōnis normam institúerat, agréssa, quamplúrimas exinde adolescéntulas exémplo suo ad fidem & castitatem coléndam addúxit: ex quibus sanctæ potíssimū muñieres Tryphæna, & Tryphosa in Christiána disciplína sub ea póstmodùm miríficè profecérunt.

R. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam;

\* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

℣. Spécie tua , & pulchritúdine tua inténde , prósperè procéde , & regna. Et dedúcet. *Benedictio.* Christus perpétuæ.

*Léctio v.*

**Q**UOD cùm iníquo ánimō ferrent sponsus & paréntes Theclæ , illam apud Júdicem quòd Christiána es- set accusárunt. Cujus jussu in ardéntem rogum qui, nísi Christo renuntiáret , ei parátus erat , priùs signo Crucis armáta, seípsam injécit : sed igne plúvia, quæ repéntè exórtta est, extíncto, Antiochiam venit: ubi feris objécta , & tauris in divérsa incitátis alligáta , mox conjécta in fossam plenam serpéntibus , ex ómnibus Je- su Christi grátia liberátur. Cujus ardóre fidei , & vitæ

sanctitáte multi ad Christum convérsi sunt.

℟. Dilexísti justitiam , & odísti iniquitátem:

\* Proptéreà unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiae.

℣. Propter veritátem , & mansuetúdinem , & justítiā. Proptéreà. *Benedictio.* Ignem sui amoris.

*Léctio vi.*

**T**ANTIS Christi Dómini virtúte perículis erépta Thecla , in pátriam rédiens, in montem sola secéssit ; ac præcipua vitæ sanctitáte & miráculis insignis , nonage-nária migrávit ad Dóminum. Sacrum ejus corpus Seleúciæ sepúltum , celeberrima totius Oriéntis veneratiōne , & frequénti Christianórum concúrsu illuc adeúntium , honorficè hábitum fuit : ac Sanctus Gregórius Nazian-zénus , ad illud veneránduin Se-

Seleúciam se contulísse testátur. Eam summis láudibus tum ipse, tum omnes ferè Sancti Patres suis scriptis extulérunt: ádeo ut si quando præcelléntem áliquam sanctitáte féminam celebrare vellent, non álio, quām Promotórtyris Theclæ nōmine exornárent.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus,

\* Afferéntur tibi in lætitia, & exultatiōne.

℣ Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Afferéntur. Glória Patri. Afferéntur.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evang.* Símile est regnum cœlorum thesáuro, ut in Communi non Vírginum.

R. de suo Communi.

## FESTA OCTOBRIS.

### DIE XXI. OCTOBRIS.

*In festo Ss. Ursulæ, & Sociarum Virg. & Mart. dupl. Aña. & ℗. pro Vesp. & Laud. ut in Breviário.*

*Oratio.*

**D**A nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctarum vírginum & mártirum tuarum Ursulæ & sociarum ejus palmas incessabili devotiōne venerári: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentēmus obséquiiis. Per Dóminum.

### IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrénte.*

IN

## IN II. NOCTURNO.

*Léctio IV.*

**C**UM Máximus dux exércitus in Británnia, contra Gratiánus Augústum bellum gerens, Armoricos in Gállia sédibus expulísset; Británnis milítibus, quorum usus fúerat auxílio, regió nem urbémque, sed habitatóribus vácuam, attríbuit. Quò verò eòrum posteritati consúleret, missa legatiōne ad Diónicum Cornúbiæ in magna Británnia Regem, quæsívít ex ea singulas vírgines singulis novæ Colóniæ viris jungéndas, ut Británnici mítiles ex géntibus suis optátas habérent uxóres.

R. Propter veritatem, & mansuetúdinem, & justitiam:

\* Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

R. Spécie tua, & pulchritúdine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Et dedúcet. *Benedictio.* Christus perpétuæ.

*Léctio V.*

**D**Uábus ígitur legióni bus, pro número mílitum qui tunc in eis repérти fuére, tótidem éléctæ sunt vírgines, omnes número ún decim mille. Inter eas verò príncipem obtinébat locum Ursula, ejúsdem Diónici Regis filia, despónsa Connáno exércitus duci, qui unus erat è Británniæ Régulis. Cunctæ itaque Londíni colléctæ, impósitæ sunt navígiis, lícet invitæ, quippé quæ pátriam, charósque propínquos desérere cogeréntur. Dumque Armoricórum regiōnem ágitant nautæ, móx horribili obórtā tempestâte, naves ad Germánicum littus sunt appúlsæ.

R. Dilexísti iustítiam, &  
odísti iniquitátem:

\* Proptéreà unxit te Deus,  
Deus tuus óleo lætitiæ.

V. Propter veritátem, &  
mansuetúdinem, & iustítiam.  
Proptéreà. *Benedictio.*  
Ignem sui amoris.

*Léctio VI.*

**T**um fortè Melga Pictòrum, & Gaunus Hunnorum Pyrátæ pro Gratiáno advérsùs Máximum tyránnum mare illud inféstum habébant; qui sanctas vírgines nacti, in eas irruéntes, sævítia atque libídine pugnárunt. Sed cùm hortánte Ursula, mortem subire pótiùs delegíssent, quám vírgínei pudoris jactúram fáccere; barbárico illi in eas incénsi furòre, quòd proprárent áliò, ne longiòri mora distineréntur, in ipsas armis, ut in hostes, insíliunt,

trucidántque omnes, anno Christi trecentésimo octogésimo tertio: & eas dúplici martyrii atque virginitatis corona auctas cœlum excépit. Cùm autem fama apud finítimas regiōnes percrebuísset de gloriōsa vírginum nece, quòd vitæ pótiùs, quám pudicitiae detriméntum pati ma luíssent; eàrum córpora pio stúdio ab ícolis subláta, débitò sanctis martyribus cultu Colóniæ Agrippinæ sepulta sunt. Indè pósteà in univérsum orbem Christiánum avécta, plúrimas Ecclésias, ac præsértim Burgensem, singulári Dei múnere decorárunt.

R. Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus,

\* Afferéntur tibi in lætitia, & exultatiōne.

V. Spécie tua, & pulchritudine tua inténde, prósperè procéde, & regna. Affer-

rén-

réntur. Glória Patri. Affe-  
réntur.

### IN III. NOCTURNO.

*Homil. S. Gregórii Pap. in Evang.* Símile est regnum cœlorum decem Virgínibus, *nona lécio ex duábus S. Hilariónis Abbat. com. S. Hilarion.* & similiter in *Vesp. Missa Loquébar, Orat. & Epistol. de Commun. plurim. Vírginum, & Mártirum, commem. Sancti Hilariónis, cum Credo in Matric.* & ubi fúerit Relíquia insignis.

## FESTA NOVEMBRIS.

### DIE X. NOVEMBRIS.

*In festo Translationis S. Victoriæ Vírginis, & Mártiris, dupl. Oratio Indulgéntiam.*

### IN I. NOCTURNO.

*Lectiones de Scriptura occurrente.*

### IN II. NOCTURNO.

*Lect. de Communi primo loco, incipiéndo Quoniam hodiè translatio est Vírginis Victoriæ.*

### IN III. NOCTURNO.

*Homilia S. Gregórii Pap. in Evang.* Símile est regnum cœlorum thesáuro, ut in Communi non Vírginum. *R. de Communi Vírgin. & Márt. nona léc. Ss. Triphónis, &c. Márt. & eorum commem. & in primis Vesp. Missa.* Me expectavérunt, commemor. *Ss. Márt. sine Credo. extra Matric.*

## FESTA DECEMBRIS.

## IN II. NOCTURNO.

## DIE XX. DECEMBRIS.

Léctio IV.

*In festo S. Domíni Sy-  
lénsis Abbátis Conf. dupl.*

## Orátko.

**D**EUS, qui Ecclésiam tuam beáti Domíni Confessoris tui præcláris vitæ méritis decorásti, & in liberándis captivis gloriósis lætificásti miráculis: concéde nobis fámulis tuis, ut & ipsiū instruámur exémplis, & ab omni vitiòrum servitùte ejus patrocínio liberémur. Per Dóminum.

## IN I. NOCTURNO.

*Lectiōnes de Scriptura oc-  
currēnte.*

**D**omínicus Abbas honéstis paréntibus natus est Cannis, oppídulo ad radíces Jubédæ montis in Cántabris. Quem ab ipsa puerítia mirus monásticæ vitæ ardor occupávit, ádeo ut, relícta gregis patérni cura, in solitúdinem secésserit. Sed cùm parùm ei tutta viderétur illa solitudo, insigne Sancti Æmiliáni Cœnobium adiit: ubi cùm diù sub hábitu, & disciplína monástica vixisset magna sanctitatis opiniōne, Ecclésiæ Cannárum regéndæ præficitur: indè in Cœnobium Sancti Æmiliáni revocátus, Prior efficitur. Verùm dum Cantabrórum Regi quædam à Cœnóbio injústè exigénti constantíssimè resistit, ab

M

cô-

eòdem in Jubédæ montis ívia , duobus Mónachis comítibus actus est.

R. Honéstum fecit illum Dóminus , & custodívit eum ab inimícis , & à seductóribus tutàvit illum:

\* Et dedit illi claritatem ætérnam.

V. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas , & osténdit illi regnum Dei . Et dedit.

*Léctio v.*

**R**egis furóri cédere cúpiens , ad Ferdinándum Castéllæ & Legionis Regem , ejus nóminalis primum se cóntulit. Qui viri Dei sanctitatem motus , illum ad se adeúntem benígnè & honoríficè excépit , & Cœnóbio Sancti Sebastiáni præ- ésse voluit , addito ab Epíscopo Diócesáno Abbatis tí-tulo. Erat autem ipse locus infrequens , útpotè qui ste-

rílibus quibúsdam Jubédæ montis cóllibus subjáceat , quæ mons ipse Celtíberos tangit. At claritatē miraculorum , quæ quotidiè per servum suum Domínicum operabátur Deus , tam céleber ac frequens factus est , ut eo témpore per Hispániam nullus illústrior esset. Nulla enim fermè morborum génera erant , quæ Domíni precibus ab hóminum corpóribus non pelleréntur. Unde Cœnóbio in augustinorem formam erécto , magno étiam Monachorum número coáluit , Régibus , ac pópolis multa illi certatim offeréntibus.

R. Amávit eum Dóminus , & ornávit eum , stolam gloriæ induit eum :

\* Et ad portas paradisi coronávit eum.

V. Induit eum Dóminus lorícam fídei , & ornávit eum. Et ad portas.

*Léc-*

## Léctio VI.

**Q**uin étiam singulári privilégio servum suum insignívit Dóminus, ut Christiáni, qui apud Mahometános vincti multis ferri pondéribus tenebántur, invocáto Domínico, liberaréntur. Demùm gravi morbo corréptus, Ecclésiæ Sacraméntis devotíssimè suscéptis, migrávit ad Dóminum anno Dómini millésimo septuagésimo quarto. Eo autem die, quo migrávit à corpore, vi-sa est à pueris quibúsdam illius ánima tríplici coróna decorata in cœlum subvoláre. Corpus verò ejus in eodem Cœnobio cónditum hodiè cérnimus, quod Sanctum Domínicum de Sylos appellámus. Ad cujus sepúlchrum orans Joánnna Felícis Guzmáni uxor, olim infœcúnda, filium impetrávit, cui sancti hujus viri

proptéreà nomen impósuit. Quod quidem ipse mira vi-tæ sanctitatem, sacróque Prædicatòrum Ordine instituto, multò réddidit illústrius, quam accépit.

R. Iste homo perfécit ómnia quæ locútus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in réquiem meam:

\* Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

¶. Iste est qui contémpsit vitam mundi, & pervénit ad cœlestia regna. Quia. Glória. Quia.


## IN III. NOCTURNO.

*Homil. Sanct. Hierónymi Presbyteri, in Evang. Ecce nos reliquimus ómnia, ut in Communi Abb. Missa, Os justi, pro Abb. cum commemor. fer. & in Vesp. & Laud.*

DIE XXIX. DECEMBRIS. DIE XXX. DECEMBRIS.

*In festo S. Thomæ Cantuariensis Episcop. & Mart. dupl. Omnia ut in Breviar. & Missal. Roman. quoad Offic. & Missam.*

*In festo Translat. S. Jacobi Apost. dupl. maj. Omnia quoad Offic. & Missam, ut in SS. Hispan. iep.*



IN DECEMBER.

December. The month of the birth of Jesus Christ. The name December comes from the Latin word decem, meaning ten. It was the tenth month of the ancient Roman calendar, which began in March. In the early Christian church, December 25 was chosen as the feast day of the birth of Jesus, based on the belief that it coincided with the winter solstice and the Roman festival of Saturnalia. This date has since become the most important Christian feast day, celebrated as Christmas.

The month of December is often associated with the winter season, cold weather, and the holidays. It is a time for family gatherings, gift giving, and celebrating the birth of Jesus. The word "December" is derived from the Latin word "decem", meaning ten, and refers to the fact that it was the tenth month of the ancient Roman calendar. The name "December" is also used to refer to the month of the year, which is the twelfth month of the year. The name "December" is also used to refer to the month of the year, which is the twelfth month of the year.

DIE XXII MAJI.

IN FESTO

## SEPTEM SS. VIRORUM APOSTOLICORUM.

DUPLEX.

Omnia de Communi plurimorum Mart. pro tempore.

### ORATIO.

Deus, qui nos post beatissimum Jacobum Apóstolum per beatos mártires tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcilium, Hesychium et Euphrásium ad agnitionem tui nōminis venire tribuisti: concéde propitiis, ut quos festivo venerámur obséquio, eorum intercedéntibus méritis, aeterna gaudia consequámur. Per Dóminum nostrum...

Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

### Lectio IV.

Quo témpore primam in Christiános persecutióñem Nero immaníssimus Imperator excitávit, beatissimi Apóstoli Petrus et Paulus Torquatum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cœcilium, Hesychium, et Euphrásium, beati Jacobi Apóstoli discípulos, Episcopos Romæ ordinarunt, et ad prædicándum Christi Evangélium in Hispániam misérunt. Cum autem ad eam provinciam pervenissent, prope Accitánam urbem, in víridi campo, ut longitúdine itíneris lassati aliquántulum quiéscerent,

constitérunt. Cumque ad civitátem victus eméndi causa aliquos misíssent, pagáni, qui tunc forte deórum suórum festa debacchántes peragébant, visis divérsi hábitus ac religiónis peregrínis homínibus, in eos furéntes prosiliunt: et ad Sanctos perveniéntes, omnes páriter in fugam actos, usque ad flumen prosequúntur.

R<sup>er</sup> pro tempore.

#### Lectio v.

Sed ut viri Dei pontem pertransiérunt, pons, qui mirae magnitúdinis et firmissimus erat, cóndidit, et gentilium multitúdinem, Sanctos persequéntem, páriter oppréssit, ac demérsit in aquas. Quo miráculo ácolæ térriti, eos póstea revocáre, et in honóre habére cœpérunt. In primis Lüpária quædam præclára mulier benígne illos suscépit, atque ab his fidem edócta, in oratório, quod ipsa con-

strúxerat, baptizáta est. Cujus exémplo quamplúrimi in Christum credéntes, relíctis idólis, Baptísmi Sacraméntum suscepérunt.

#### Lectio vi.

Hujus ígitur urbis (quæ tunc prima Christi Dómini fidem in Hispánia recépit) beátus Torquátus Epíscopus designátus est: ac cæteris ad álias Hispániae terras abeúntibus, ipse Acci remánsit, ubi multis pro Christo perfunctus labóribus, demum martyr occúbit. Ejus corpus in eádem urbe (quæ nunc Guádix appellatur) primo sepúltum est. Juxta cujus sepúlchrum olim arbor olívæ erat, quæ in natáli Mártyris florébat, simúlque fructus uberes emittébat: e quibus óleum expréssum ad vários morbos curándos adhibebátur. Inde in Gallæciam translátum in quodam coenóbio órdinis sancti Benedícti condigno honóre asservátur.


Sodáles sancti Torquáti, et ipsi in váriis úrbibus Episcopi constitúti, Christi Evangelium predicárunt, et in eis quievérunt: Ctésiphon Vérgii, Secúndus Abulæ, Indalétius Urci, Cœcilius Illíberi, Hesychius Cartéjæ, Euphrásius Illitúrgi; quorum cónpora ad álias póstea Hispániae urbes translátas sunt. Et Ecclésia Burgén-sis sacrárum Sancti Inda-

létii reliquiárum partíceps facta fuit.

### IN III. NOCTURNO.

Témpore pasch. Homilia in Evangel. *Ego sum vitis vera* I. loco. Extra temp. pasch. *Cum audiéritis* de I. loco.

Mis. Juxta occurrent.: *Sancti tui, tempor, pasch.*  
*Intret... extra temp. pasch.*  
*Credo in Matrīce.*



INDEX  
*S A N C T O R U M,*  
 ET FESTORUM  
*BURGENSIS*  
 ECCLESIAE,  
*ET ARCHIDIOECESIS,*  
 QUORUM OFFICIA IN HOC CODICE

continentur.

*JANUARIUS.*

- |    |   |
|----|---|
| 00 | Fest. SS. Nominis Jesu, <i>Dup. 2 clas.</i> fol. 1.                     |
| 22 | Fest. S. Vincéntii, M. <i>Dup. 2 cl.</i> cum Oct. fol. 15.              |
| 28 | Fest. S. Juliáni Episcop. & Conf. <i>Duplex</i> , cum Octav. fol. ibid. |
| 30 | Fest. S. Adelélmi Abbat. <i>Duplex</i> . fol. ibid.                     |

*M A R-*

## M A R T I U S.

- 1 Fest. S. Angeli Custod. *Dup.* fol. 18.  
 3 Fest. Ss. Emethérii, & Celedónii M. *Dupl.* fol. 28.  
 15 Fest. S. Sisibuti Abbatis Caradignæ, *sem.* fol. 32.

## A P R I L I S.

- 9 Fest. S. Casíldæ Virg. *Duplex*, fol. 35.  
 30 Fest. S. Indalétii Episc. & Mart. *Duplex*, fol. 37.

## M A Y U S.

- 5 Fest. Corônæ Domini, *Duplex*, fol. 40.  
 22 Fest. Septem Ss. Vítorum Apostolicorum, folio. 23.

## J U N I U S.

- 1 Fest. S. Ennecônis Abbat. Conf. *Duplex*, fol. 52.  
 2 Fest. S. Joánnis de Urtéca Conf. *Semidupl.* fol. 55.  
 12 Fest. S. Joánnis à S. Facúndo Conf, & Ecclésiæ Burgens. Canonic. *Dupl.* 2 *clas.* fol. 58  
 16 Fest. S. Quiríci, & Julítæ Mart. *Semidup.* fol. 62.  
 28 Fest. S. Juliánæ Virg. & Mart. *Semid.* fol. 65.

## J U L I U S.

- 20 Fest. Dedicat. Ecclésiæ Burgens. *Dupl.* 1 *clas.* cum Octav. étiam in Ecclésiis Diœces. ubi pròpria non celebrâtur. fol. 69.

Fest.

- 24 Fest. S. Margarítæ Virg. & Mart. *Semidupl.*  
fol. ibid.

A U G U S T U S.

- 7 Fest. Ss. Stéphani Abbat. & ducent. Monachor.  
Mart. Karadignæ, *Dupl.* fol. 71.
- 13 Fest. Ss. Centóllæ, & Hélenæ Virg. & Mart.  
*Duplex*, fol. 75.
- 16 Fest. S. Rochi Conf. *Dupl.* in Civit. Burg. fol. 78.
- 26 Fest. S. Victòris Mart. *Dupl.* fol. 79.

S E P T E M B E R.

- 5 Fest. Commem. S. Juliáni Episc. & Conf. *Duplex*,  
fol. 82.
- 23 Fest. S. Theclæ Virg. & Mart. *Duplex* in Eccles.  
tantum, fol. ibid.

O C T O B E R.

- 21 Fest. Ss. Ursulæ, & Sociarum Virginum, & Mart.  
*Duplex*, fol. 85.

N O V E M B E R.

- 10 Fest. Translat. S. Victóriæ Virgin. & Mart. *Du-*  
*plex*, fol. 88.


D E-


## DECEMBER.


- |    |   |
|----|---|
| 20 | Fest. S. Dominici Sylens. Abbat. Conf. <i>Dupl.</i><br>fol. 89.   |
| 29 | Fest. S. Thomæ Cantuar. Episcop. & Mart. <i>Duplex</i> , fol. 92. |
| 30 | Fest. Translat. S. Jacobi Apost. <i>Duplex maj.</i><br>fol. ibid. |

**F I N I S.**









666666  
666666  
666666  
666666